DE HYDROPE EJUSQUE CAUSIS EXERCITATIO MEDICA ANTONII DOMINICI GOTTI ..

Antonio Domenico Gotti

1
7
288
BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE - FIRENZE

Google

DE HYDROPE
EJUSQUE CAUSIS
EXERCITATIO
MEDICA.

All'Ill.mo Sig.r Antonio Magliabechi Bibliotecario di S. A. R.

l'Autore

1. 7. 288

DE HYDROPE
EJUSQUE CAUSIS
EXERCITATIO
MEDICA

ANTONII DOMINICI GOTTI

FLORENTINI

AD REGIAM CELSITUDINEM

COSMI TERTII

MAGNI ETRURIÆ DUCIS.

FLORENTIÆ MDCCIX.

Typis Michaelis Neſtenus, & Antonii Borghigiani.

Superiorum permiſſu.

REGIA CELSITUDO.

EXigua dona, & anguſta magnis, & ampliſsimis Principibus exhibere non niſi audacis animi, & ſibi ipſi nimiùm

fidentis eſſe diù cogitaveram, nunquam in eam fidem ſatis inductus, ut crederem, poſſe, abſque temeritatis notà, tantum propriæ tenuitati tribui, ut vel ipſam Aularum majeſtatem ambitioſis adire muneribus aliquando non dubitet. A veteri tamen opinione diſceſſi, cùm mentem opportunè ſubiit, non ad eos tantùm, qui dona offerunt, reſpiciendum, ſed de præſtantiſſimà etiam, & humaniſſima conditione eorum, quibus dona offeruntur, rationem habendam eſſe. Hoc itaque fuit, quod jamdudum me movit, meamque impulit mentem, ut medicam hanc Exercitationem REGIÆ TUÆ CELSITUDINIS advolverem pedibus, nunquam ſcilicet alibi tantum

humanitatis invenire poſſe ratus, quantum in te tui venerantur Populi, & amant exteri. Et profectò non niſi maximâ comitate opus tibi erit, ut exiguam hanc diſſertationem, et rudem facili excipias vultu, regioque digneris obtutu: Ipſe quidem illam abjectam minus, magiſque tanto Principi accomodatam deſideraſſem, Sed ingenii mei imbecillitas magnum quid aggredi impotentis mea ſimul vota, aliorumque expectationem decepit. Verum quomodò grandius aliquid, auguſtumque tuum nomen in fronte gerere dignius exarare unquam poteram, cùm tantum; nec vires patiantur meæ, nec ſinat officium. Ea enim ægris medicam aſſiduè manum præbendi ne-

neceſsitas mirùm, quantùm mei ipſius ſibi arroget, quantum mihi auferat temporis, & me ab hujuſmodi literariis exercitationibus quantum obſtinatè divellat? Utinam aliquandò, PRINCEPS SERENISSIME, vel promptiùs mihi daretur ingenium, vel otium ſecuriùs, non adeò tunc fortaſsis abdita mihi forent Naturæ non minùs quàm Artis Medicę arcana, teque magis dignæ paginæ, ac stylo feliciori conſcriptę de regio COSMI nomine ſuberbirent. Gratias intereà tibi ago, SERENISSIME PRINCEPS, quod ab his, qualeſcumque ſint, laborum meorum primitiis in te uno & ſingulare decus, & firmiſsimum pręſidium quęri non ſis dedignatus, verebuntur etenim

invidi, contentioſique Homines ſuum in me virus evomere, quotieſcumque præſentiſsimum te rerum mearum Patronum agnoverint. Vale Princeps optime, noſtræque felicitati diutiſſimè vive.

REGIÆ TUÆ CELSITUDINIS

Humillimus Servus, ac Subditus
Antonius Dominicus Gotti.

AD LECTOREM.

OPuſculum hoc, puſillum, inornatum, & rude, en prodit, Amice Lector, in lucem animi tui comitatem, & benevolam Indolem tentaturum: A te facilibus intueri oculis, hoc ſaltem titulo, fortaſſe merebitur, quod ſibi nihil fidat, & nihil de propriâ tenuitate præſumens tibi ſe totum, tuaque humanitati unicè credere, & commendare voluerit. Innumera tibi occurrent legenti, quæ meliùs in obſcuro ſcribentis ingenio latuiſſent, adeo enim levia ſunt, & adeo inania, ut mirum ſit, quomodo in lucem prodire, atque a te, tuàque tantum exigere patientiâ non erubuerint; Verùm id ipſum, quod me quaſi ſtultitia notat, optime tuo Nomini conſulere poterit, ſi a te humaniter, libentique animo excipiatur. Quid enim ſplendidius, quid glorioſius, quàm humilem aliquem conditionem non modò, non contemnere, ſed cum eâdem amicè agendo, illam quaſi erigere, ac ſublevare? Hoc autem ſi præſtare non dedigneris, qualem mihi addes animum, ut nova molirs

teque

teque novo fortaſſe afficere tædio non dubitem ! Sic tu, quis crederet ? de audaciâ noſtrâ in culpam vocaberis, noſtræque temeritatis fiet quaſi reus, quia nimiùm aliquandò comis fuiſti ; Sciò tamen te ab hujuſmodi criminibus non abhorrere, a te etenim exigit ſingularis tui Cordis amabilitas, ut literarios labores, qualeſcumque ſint, gremio foveas, & an indè ſcribentium animus audaciùs ſe gerere diſcat curare renuas :

Hoc illud eſt, quod de te ſentire,

& a te ſperare juvat.

Vale.

Di-

Dicendorum Occaſio, & Ordo.

CAP. I.

PRovido Navis Gubernatori pluribus in locis Medicus comparatur à Tullio,(a) cui obſecundans Galenus *omnibus*, inquit, *affectionibus Medicus in commune rectè proſpiciet, & præcavebit, quemadmodum bonus Gubernator per futuram tempeſtatem*; [b] Et quidem, quid aliud eſt morbos curare, cùm vigent, vel arcere, cùm imminent, quam fragilem humani Corporis ratem, aut vehementibus tentatam procellis incolumem, artis auxilio ſervare, ne obruatur, & pereat, aut ſi tempeſtas impendeat, curſum cautè dirigere, omnemque operam adhibere, ut quantum fieri poteſt, navis ipſa, fruſtrà ingruentibus ventis, periculo ſubducatur? Mirum verò, quot in primo caſu ſeſe obiiciant agitationes, quot fluctus, quot naufragia, adeo ut non

 mo-

[a] *Cic. Lib. 1. & 5. de finibus Bon. & Mal. Lib. 5. de Natura Deorum.*
(b) *Gal. in Comment. 3. prognoſt. Hippocr.*

mo ita expers conſilii ſit, ut certamen potius cum procellis inire velit, quam ab ipſis præviſis declinare, præſertim ſi longa docuerit experientia, hujuſmodi prælia fere ſemper cum navigii interitu infeliciter eveniſſe. De Hydrope igitur verba facturus, idem concipiatur volo, tanquam tempeſtas horrida, ita ægros in ultimum vitæ diſcrimen adducens, ut inter inſanabiles prorſus morbos poſſit merito recenſeri. In hujus propterea curatione nihil immorabor, cum non niſi funeſtum promittat exitum, & id, quod in hujuſmodi affectione exhiberi paſſim ſolet ſatis ſuperque impleat Medicorum volumina; Hydrops, de quo loqui, & quem curare intendimus ille eſt, qui nondum adeſt, ille videlicet, qui adeſſe poterit, niſi eidem iis, quibus par eſt, armis obviam eamus, & pugnemus, non cum morbo, fatali ſemper hoſte, & timendo, ſed cum morbi ipſius licet remotiſſima ſuſpicione; Verùm quid remotiſſimum appellamus id, quod frequens adeo eſt, & univerſaliter adeo graſſatur, ut plus æquo fortaſſe prope ſit multis procella iſta, & jam tumidum mare, ſonanteſque ſibi fingat undas juſtiſſimus noſter timor? Ea nempe eſt deplorabilis temporum noſtrorum calamitas, ut hæc ipſa, ſi non unica, cæteris ſaltem latior patere videatur ad mortem via; Et profectò tanta Hydropum per urbem noſtram, non multis ab hinc annis, vagantium copia cujus non movit animum, & a quo audita fuit abſque admiratione, & abſque lachrymis? Ipſe etiam miſerrimam hanc Hominum conditionem luctu huc uſque, & lamentatione ſum

pro-

proſequutus, ſed inutilis noſter dolor in ventos abiit, nec minus ſævire à noſtris fletibus funeſtiſſima iſta clades hactenus didicit. Placuit itaque ad morbi nimium domeſtici Ideam, cauſaſque examinandas mentem appellere, & quoniam Hydrops, qui crebrioribus, ac ſævioribus ictibus corpora aggreditur ille eſt, qui Aſcites nuncupatur, ideo omiſſis reliquis, per Medicorum ora paſſim vagantibus, Leucophlegmatià ſcilicet, ſive Anaſarcà, & Tympanite, de illo unicè verba faciemus, noſtri potentioris, ac præſentioris hoſtis dolos detegere, ut faciliùs evitari poſſint, curantes. Primo igitur Hydropem juxta Veterum commenta breviſſimè conſiderabimus, ſecundo loco, aliqua de ductibus lymphaticis, lympha, ejus motu, uſu, & ſimilibus, tertio deinde verius morbi hujus ſyſtema ex recentiorum inventis exponemus, Ultimo, ad cauſas Hydropis perpendendas deſcendentes, in iis unicè aliquantulum immorabimur. Jam ergo exordiamur a primo

Veterum Medicorum de Hydrope, ejuſque Cauſis Sententiæ.

CAP. II.

HYdrops Aſcites, ſive aquoſus, ſive Aqua intercus, ſive aliter apud alios nuncupetur, tumor totius abdominis ab aquoſo humore genitus ab omnibus, tam veteribus, quam recentioribus Medicis definitur, Verùm in hoc uno conſentientes vetuſtiorum temporum Medici mirum poſtea quàm inter ſe pugnare videantur circa modum ſeroſæ hujus collectionis in infimo ventre efformandæ, Miſerrima etenim tunc in anatomicis rebus, vel cæcitas, vel caligatio in cauſa erat, cur ampliſſima nugis mille, & mille figmentis via ſterneretur. Hepar, primo loco, viſcerum omnium quaſi regem, & humani corporis moderatorem, ac principem arbitrati, ibi *dignam animæ ſedem*, *ibi virtutem*, ut Galeni verbis loquar, *ſecundum quam nutrimur*, *& augemur*, *& cibum appetimus*, *& aſſumptum elaboramus concotione*, *& digeſtione*, [c] & ibi tandem ſanguinis univerſam fabri-

[c] *De Virt. noſtr. Corp. diſp.*

bricam, & diſtributionem conſtituerunt. Hiſce fundamentis innixi Aſcitis cauſam ſtatim Jecori male-affecto tribuerunt, rationi maximè conſentaneum judicantes, ut ſicuti a bonà ſanguificatione in ſano Hepate univerſi Corporis œconomia ritè, ac laudabiliter conſervatur; ita a malà in hoc viſcere ſanguinis elaboratione morbus hic pernicioſiſſimus gigneretur; Atque ita hæc opinio apud illos invaluit, ut quotieſcumque Aſciticus occurreret, a malo Hepatis habitu ad malam ſanguificationem, a malà ſanguificatione ad ſeri tranſcolationem, & ſtagnationem, brevi gradatione, deſcenderent. Inter pravas Jecoris affectiones Hydropem producere aptas, numerare illis placuit ipſius intemperiem, obſtructionem, Scirrhum, vel rimam quandam in ejus ſubſtantià, culpà nimiæ ſiccitatis, ortam. Quidam verò Hepatis amantiores ſocium illi in aſcite cauſanda Lienem fecerunt, eumque aliquo pacto vitiatum ad funeſtiſſimi hujus morbi productionem concurrere putaverunt. Rem autem ſibi ita fingebant; Chylus, ajebant illi, in ventriculo elaboratus ſimul cum ſero attrahitur ab Hepate, & Liene, quæ viſcera ſeroſam portionem, quæ ſupereſt, poſt ejuſdem Chyli diſtributionem, mandant ad renes, unde per ureteres, & veſicam extra corpus educitur. Quæcumque itaque cauſa ſit, quæ virtutem hanc, ut vocant, attractricem in hiſce viſceribus lædat, neceſſario peſſima ſeroſæ humiditatis diſtributio conſequetur, & faciliſſima in abdomen irruptio, atque ſtagnatio. Quoniam vero cadaveribus inſpectis eorum, qui aſcitici è vità mi-

gra-

graverant, aliquando ſaniſſimum Jecur, & ſaniſſimum Lienem invenire contigit, familiarius apud ipſos erat effatum a facultatis attractricis in hiſce viſceribus debilitatione Hydropem gigni; immo a citiſſimo aquarum thermalium per urinam tranſitu decepti breviorem quandam ſemitam ſeri evacuandi ſibi finxerunt, putabant enim per vas, quod breve nuncupabant, attrahi a Liene ſerum, & aquam è ventriculo, ac deinde, per vias propiores, ad ureteres derivari, unde etiam, in hoc caſu, virtus attractrix læſa, licet in ſolo Liene univerſam ſeri diſtribuendi methodum ſtatim corrumperet. Huc uſque cauſam Hydropis ad ſerum non laudabiliter attractum a viſceribus, ac proinde fluens libero, & inſolenti curſu, quà dabatur via, retulerunt; Non tamen hæc ſola illis morbi hujus initia ſtatuere placuit, ſed modò Jecur ipſum nimià aquà infarctum, atq; diſtentum ipſius exſudationi in abdominis cavitatem obnoxium eſſe, modò vaſa meſeraica a ſero, vel nimio, vel nimis acri, & mordaci aut dilatari, aut diſrumpi, & aquoſam interea colluviem in infimo ventre colligi arbitrati ſunt. Non minùs in vaſis per omentum diſcurrentibus fieri poſſe dilatationem aliquam, vel eroſionem a Sero, quod a Liene illhuc pleno gurgite fertur, contendebant Hippocratis auctoritate ſuffulti, qui (d) *in ventriculum*, ait, *etiam potus fertur, quo cum expletus fuerit, ab eo Lien recipit, & ad venas, & omentum tranſmittit*, & alibi, *in tumorem autem ſublatus*, *& op-*

(d) *Lib. 1. de Morb. Mulierum.*

& oppletus [loquitur de Liene] *per venas aquam in Corpus tranſmittit, præcipuèque in Omentum.* Ipſi etiam renes, cum, in Veterum ſententia, Serum per emulgentes attrahere debeant, ut a nimiâ ejuſdem colluvie partes liberentur, ſi hoc, facultatis propriæ vitio, præſtare nequeant, remanebit in venis, & paulatim in abdomen effundetur. Hæc, & pleraque alia de Aſcite, ejuſque efformandæ modis Veterum monumenta pervolventibus ſeſe obviam facient, eorumque ſententias, maximà cum admiratione, excipere, ut arbitror, oportet, tunc enim pene in incunabulis volvebatur Anatome, & obſcuriſſimis latebat tenebris involutum, quod noſtris hiſce temporibus luce ipsà clarius emicat. Quomodo etenim ſibi decantatam illam vim, ſeu facultatem attractricem fingere potuiſſent, ſi humani Corporis œconomià feliciùs inveſtigatà, ea illis innotuiſſent, de quibus nunc anatomica fervent Theatra, & recentiora tempora gloriantur? Compertam nempe habuiſſent pulchram illam motionum omnium neceſſitatem, ac legem, & verè mechanicam methodum, qua utitur Natura ad proprias operationes rite exequendas, unde quæcumque in Corporis fabricà paſſim occurrunt, magna licet, & admiranda, non ad ſomniatas facultates, & conſueta inſcitiæ Aſyla, ſed ad inſtrumenta, & organa neceſſariò operantia ſapientiùs retuliſſent. Ipſam etiam ſanguificationem in Hepate male a Veteribus conſtitui ſtatim agnoſcet, qui Cordis, & Arteriarum ſtructuram, lacteorum, aliorumque ductuum chylo inſervientium munus, & Pulmonum, aeriſque

uſum,

uſum, ex recentiorum inventis attentiùs excogitaverit; Conſtat etenim unicum Hepatis officium eſſe, humorem bilioſum a maſsâ ſanguinis ſegregare, & per proprios excretorios ductus ad duodenum tranſmittere. Ultimo loco, vas illud, quod breve nuncupabant, & cui tot uſus paſſim tribuebant Antiqui, jam notæ circulationis leges, & anatomicæ inſpectiones nil aliud eſſe docuerunt, quàm venam quandam, ſeu potiùs venas quaſdam, ſanguini ad cor reducendo, ut cæteris omnibus venis incumbit, deſtinatas. Verùm hæc de Aſcite, juxtà Antiquorum placita, ſint ſatis. Maria ſeculis omnibus nota celeri huc uſque navigatione luſtraſſe ſufficiat, pateant jam novi fluctus, novæ ſternantur undæ, & noſtram recèns inventis aquis, felicioribus auſpiciis, navem credamus.

De

De Ductibus lymphaticis, & lymphâ.

CAP. III.

INfans per plura ſecula, ſuiſque undique tenebris circumfuſa adolevit jam, & fulgentiſſimis noviſque radiis enituit res anatomica: Et quidem multùm debemus ſolertiæ tot illuſtrium Virorum, qui immenſis laboribus, ſtudiiſque, adeo planam, oculiſque omnibus perviam humani Corporis fabricam fecere, ut jam ſenſibus ipſis clarè, & evidenter pateant, quæ nullum caput, mens nulla attingere cogitando potuiſſet. Quis enim, (ut cæteris omiſſis, de his unicè loquamur) lymphaticos ductus, & in ipſis contentam aquam in animum induxiſset, niſi præſtantiſſimus ille Vir prodigiorum in obſervationibus Bartholinus primus omnium inveniſſet, totique anatomicæ Reipublicæ præclariſſimum hoc inventum per ſcripta communicaſſet? Nobis igitur gratulemur, quod tam amplum rebus noſtris, ab ultimis Daniæ finibus, vectigal advenerit, & in ipſius contemplatione jucundiſſimâ pariter, & ad id, quod in poſterum dicturi ſumus neceſſariâ paulum

 immo-

ignorentur. Motus ille Sanguinis, quem circulatio-
nis nuncupavit inventor Harvæus, jam non per ſola
fertur Medicorum ora, ſed artis noſtræ fines præ-
tergreſſus innotuit ubique, ubique paſſim circumfer-
tur, de ipſo fit ab omnibus ſermo, & rerum omni-
um inſcium de hoc uno ſapit rude, profanumque
Vulgus; Verùm, cùm omnium ſit nudum hoc circu-
lationis nomen jactare, Medici tantùm eſt ipſam exa-
ctiùs perpendere, per ejus arcana ducere ingenium,
naturamque ex his, quibus inſtrumentis, aut machinis,
quibus ſagaciſſima utitur Natura ad ſanguinem cir-
culariter promovendum, cogitando prætexere. Poſi-
to igitur ampliſſimo illo arteriarum, venarumque
apparatu, per quas fluit, refluitque Sanguis, placeat
jam, cùm de Sanguine refluente loquamur, tertium
vaſorum genus conſiderare, per quæ pars aliqua ip-
ſius Sanguinis redit ad Cor, aquoſa ſcilicet, ſeu aqua
ipſa. Vaſa verò hæc, de quibus loquimur, ſunt qui-
dam innumeri canaliculi exiles adeo, ut oculum,
niſi humore ſint turgidi, omninò fugiant, lympha-
tici vulgò appellati: Tunicæ ipſos conſtituentes te-
nuiſſimæ ſunt, & diaphanæ, aliquibus veluti no-
dis præditæ, quibus vas ipſum inæqualiter
conſtringunt, ita ut quibuſdam in locis elevetur,
& tumeat, deprimatur verò in aliis, ac pene conci-
dat. Oritur hoc a valvulis ſemilunaribus in interna
vaſorum ſuperficie quaſi æquidiſtanter poſitis, & mo-
tum contenti liquidi a centro ad circumferentiam,
prout infrà dicetur, prohibentibus. Eorum origo eſt
ab Arteriarum extremitatibus, unde ſinuoſo ferun-

tur

rur curſu, non ad unum, eundemque alveum, ſed ductus a variis partibus ſcaturientes per varias errant ſemitas, variumque demum ſortiuntur terminum; illi etenim, qui infra ſeptum tranſverſum naſcuntur ad receptaculum Chyli concurrunt, qui verò in Thorace ſunt, in thoracicum ductum deſinunt, & qui extra Thoracem a collo, & artubus ortum habent venam jugularem externam ingrediuntur; Hæc omnia & ab ipſis Anatomicorum fontibus haurire licet, & patienti, induſtrique curà, in diligenti Animalium ſectione inveſtigare. Poſitis hiſce ductibus, ponatur ſtatim oportet humor aliquis eoſdem implens, per eoſdem fluens, iiſdemque mediantibus, ſeſe in aliquem peculiarem, certumque locum pleno gurgite effundens; Humor autem iſte non Sanguis eſt, non Serum, ſed pura quædam, limpida, & cryſtallo ſimilis aqua ad magnos uſus, eoſque fortaſſe præſtantiores, quàm qui huc uſque in anguſtos Medicorum animos irrepſerunt, a Sapientiſſimo rerum Opifice comparata! A corde jam Sanguini permixta fluit per arterias hæc lympha ad irrigandas Corporis partes; ibique, partim, ab ipſo Sanguine ſegregatur, & in alium curſum deflectit. Quid verò de inſtrumentis, & machinis, quarum operà hujuſmodi ſegregatio fit, ſuſpicati ſumus, conſultò omittimus, cùm nihil, aut ſaltem parum ad ea, quæ dicturi ſumus conferre videatur obſcuriſſimas ſeparationum rationes ſcrutari; ad aquam potiùs noſtram, unde diſceſſimus, redeamus, ea enim jam principiis lymphaticorum imminet, per ipſos jam fertur vel in Chyli ciſternam, vel

in thoracicum, vel in jugularem ; vel etiam alibi, ac demum poſt varios, longoſque gyros, ad Cor ipſum remeat ſuæ circulationis habitura terminum, ubi habuit exordium. Motus hujus, quaſi dicam, perennis vulgare habemus exemplum in fluviis pene omnibus, hi enim a media manantes rupe, incerto primùm ſono, placidoque curſu, per ſaxa repunt, & gramina, donec aliis paſſim rivulis cum ipſis coeuntibus, novis aucti, & quaſi ſuperbientes undis, per campos latè ſpatiantur, valleſque, & modò a riparum anguſtiis, modò ab aggerum impedimentis, modò a lacubus ipſis victores egreſſi, in mare demum ſe exonerantes aquas ſimul perdunt & nomen, verùm mare ipſum, quod flumina abſorbet, flumina, ut inquiunt Aliqui, reparat, per occultos enim, cæcoſque ductus, novum ad fontes ipſos humorem tranſmittit, unde aqua irriguè prorumpens eaſdem rurſus alluat terras, iiſdem creſcat auxiliis, idemque demum Oceano vectigal afferat. Non diſſimili ratione motum ſuum peragit lympha noſtra; ſed aliquando ſola, Chylo aliquando permixta Sanguinem ipſum repetit, unde exierat. Nec timetur in ductibus lymphaticis de contenti humoris verſus originem ſuam regreſſu, etenim ne retrò properet, & recurrat, optimè, ut ſuperiùs innuimus, cavit Natura, valvulis prorſus innumeris ita in eorundem cavitate diſpoſitis, ut a partibus ad Cor, ſive a circumferentia ad centrum liber pateat tranſitus, nunquam è contra. Nunc igitur cùm de lymphaticorum ductuum fabricà, origine, progreſſu, & inſertione, atq; in iiſdem con-

contentæ lymphæ motu loquuti ſimus, & ſatis, ut arbitror, abundè in hiſce omnibus brevitati conſultum ſit, ſupereſt, ut eàdem ſervatà methodo, nonnulla de aquæ hujus conditionibus quibuſdam, & uſu, quaſi tranſeuntes, attingamus. Ex anatomicis itaque diſſectionibus conſtat, lympham iſtam nullum, aut jucundum ſpirare odorem, aut gravem, nullo colore infectam; nullo ſapore præditam eſſe, ſed puriſſimæ, & limpidiſſimæ aquæ, in omnibus aſſimilari; Malumus etenim cum inventore Bartholino loqui, quàm cum aliis nonnullis colorem ſubflavum lymphæ tribuentibus, non minùs in hoc deceptis, quam cùm eandem lympham viſcidulam appellarunt, mirum enim, quàm tenuis ſit, in ſtatu naturali, quàm levis, quàm fluens! Et quidem cùm maxima ſit, & quaſi oculis ſe ſubducens exiguitas canalium, per quos fertur; ſi aliqua aquæ huic ineſſet viſciditas, vel omninò a motu ceſſaret, vel lentiſſimè moveretur, exitiale utrumque, & utrumque, ſi præter naturæ ordinem, aliquando contingeret, corpori pernicioſiſſimum, & funeſtum. Quid verò tanto aquarum apparatu molita ſit Natura, quidve præſtaverit non ſatis fortaſſe hactenus in toto compertum eſt, licèt adoleverit jam nobile hoc adinventum, multorumque jamdudum Medicorum animos rapuerit mirum in modum, & fatigaverit. Nos itaque, magni nominis Anatomicis facem præferentibus, duplicter lymphæ hujus officium perpendemus, cùm nimirum ſimul, cum Sanguine arterioſo ad quaſcumque partes Corporis fertur, & cùm ab eodem disjuncta per

pro-

proprios ductus, vel a Chylo mutuatos ad Cor regreditur. Quod autem ad primum attinet, pluribus ipſam Corporis nutritioni deſtinatam eſſe contendentibus aſſentiri juvat; Putant etenim partem hanc Sanguinis candicantem, una cum ejuſdem Sanguinis craſſamento purpureo, & determinato Spirituum influxu, ad alendum Corpus peculiariter concurrere, ac de hujus rei veritate dubitari non poſſe, cum Borellio [e] affirmant, quoniam Sanguis componitur ex ſuccis ſimillimis eis, qui in Ovis puſillum Animalculum nutriunt, & citiſſimè augent, & perficiunt, glutinoſâ ſcilicet parte non minùs, quam tenui, albumineâ, atque concreſcente ad ignem ſubſtantiâ; Idem verò, exemplo Animalis per famem mortui ulteriùs confirmatur. In ejus enim arteriis Sanguinis quidem partem rubram invenire contingit licèt denſam, & quaſi areſcentem, partem verò albam nullibi reperire datum eſt; unde conijcere licet, non a purpurea tantùm, & craſſâ, ſed a candidâ, & tenui Sanguinis parte, quæ lympha eſt, ſuum Corpora nutrimentum haurire. Quoniam verò & ipſe Sanguis Chylo indiget, quo reparetur, nec ſatis expeditè verſus Cor ipſum moveretur Chylus per ſuas lacteas, niſi tenuior quidam humor eidem admiſceretur, humor autem ſeſe in chyliferos ductus effundens nil aliud eſt, quàm lympha noſtra, conſtat jam evidenter, in hoc ſecundo caſu, aquam hanc Chyli vehiculum eſſe, ut ſcilicet celeriùs, & feliciùs in Sanguinem eat.

Ve-

[e] *Lib. 5. de Oeconom. Animal. propos. cc.*

Verùm quid de humoris hujus limpidiſſimi plura loquimur? Lympham hanc in naturali ſtatu laudabilitèr conſtitutam huc uſque perpendiſſe ſufficiat: tempus jam, ut eidem male affectæ, & ab optimis enumeratis conditionibus recedenti aliquid tribuamus.

Hy-

Hydropis Syſtema ex Recentiorum inventis.

CAP. IV.

QUocumque morbo tentetur æger, aſpicitur non ſine animi perturbatione, & triſtitià, Hydrops non ſine commiſeratione, & horrore, & cùm in cordis ſui receſſu quiſque dumtaxat doleat cæteris affectionibus Homines detentos videns, ad funeſtiſſimum Aſcite laborantium aſpectum, vix lachrymas, verius interni tumultus indicium continebit. Miſero attolluntur ægroto in ingentem tumorem pedes, femora, ſcrotum, Abdomen, diſtenſionem patiuntur, & nonnunquam diſruptionem cutis, & fibræ: Fluctuat in infimo ventre contentus humor, &, in tanto aquatum proventu, nulla, vel pauciſſima, eaque ſemper rubra manat urina: Adduntur creber, parvuſque pulſus, decolor vultus, emaciatus, & triſtis, inappetentia, & nauſea, in reſpirando difficultas, & labor: Uritur interea, & ſemper uritur infelix a ſiti, quot vidit, vel quot vidiſſe potuit fontes, & fluvii ſubeunt ad dolorem,

eò

eò calamitatis deducto, ut ſe ab aquis opprimi ſentiat, & aquas cupiat, Verùm ſubducatur jam a commiſerantium oculis æger, nihil enim proderit, ſi intueatur, & ſaniori conſilio, quid ægrum ipſum in adeo funeſtum rerum ſtatum præcipitem egerit inquiratur. Primo itaque loco, morbi hujus cauſam, ut inquiunt, immediatam ſtatuamus oportet humorem aquoſum a propriis ductibus prodeuntem, & ſe in Abdominis cavitatem effundentem, circa rationem verò, ac modum, quo aquoſa colluvies, & colligatur, & augeatur valde etiam nunc ambigitur, licèt frequentiſſimus tot Hydropum aſpectus tam magnum cogitandi locum Medicis faciat, eorumque ſibi mentes, mirum in modum, & ſtudia vindicet; Quidam etenim, ut rem paucis perſtringant, lymphaticos præcipuè ductus in culpam vocantes ad celebrem illam, & nunquam ſatis decantatam ipſorum, vel rarefactionem, vel diſruptionem confugiunt, hanc neceſſariam Hydropis cauſam, funeſtamque morbi hujus radicem unicè ſtatuentes. Et profectò ab hujuſmodi ductibus, vel rarefactis, vel diſruptis, Hydropem excitari poſſe, nemo eſt, qui in dubiú revocet, tunc etenim lympha in ipſis contenta, vel exſudans, vel diffluens in Abdominis cavitatem rueret, eamque immaniter demum impleret. Hanc verò hujuſmodi vaſorum labem, multiplici de cauſà, contingere poſſe manifeſtè conſtabit, ſi præter ea omnia, a quibus extrinsecè lædi poſſunt eadem vaſa, ut vehementes Corporis motus, ictus, & ſimilia, ea etiam, quæ intrinſecè idem præſtare valent, perpendere li-

 beat:

beat : Quid autem lymphaticis intrinſecum magis, quàm lympha, illa ſcilicet, quæ per eoſdem fluit, & a qua eorundem tunicæ tanguntur ſemper, & irrorantur? Lympha itaque quoties naturæ non paret legibus vaſa ipſa lædit, per quæ movetur, & cùm in noſtro Corpore perfectus exigat ordo rerum, ut ea tenuiſſima ſit, ſaporis expers, & quendam ulterius ſervet in quantitate modum, adeo ut canalibus ipſis, per quos ferri debet, aliquà proportione reſpondeat, quocumque modo vitietur eadem lympha, ita ut ab optimis recenſitis conditionibus recedat, de ductibus ipſis, per quos agitur, peſſimè mereri poterit, noſque in manifeſtiſſimum Hydropis periculum adducere; Sit enim vel vitio instrumenti, quodcumque illud ſit, à quo ſeparatur, vel Sanguinis, a quo diſcedit, non tenuis lympha, ſed ut falsò arbitratus eſt, in naturali ſtatu, quidam aliàs peritiſſimus Anatomicus, lenta, ac viſcidula, cùm principia lymphaticorum, penes magni nominis Viros, ſint anguſtiſſima, ipſam excipere non poterunt, & paluſtres illas aquas nullum nactas alveum, quà dabitur via, perniciosiſſimà libertate, ſinent excurrere; Et ſi non hæreat ſtatim in vaſorum oſculis, ut rationi maximè congruum eſt, ſed ipſa, licèt viſcida ſit, ſubeat lympha, cùm non niſi tardiſſimè, ob proprium lentorem, moveri poſſit, nonne periculum imminebit ſatis evidens obſtructiones in ductibus ipſis efformandi? Atque hoc ſi contingat, cùm ultra contentus humor progredi nequeat, & ſe a novo ſemper, eoque uberrimo aquæ proventu premi ſentiat, lympha-

pha-

phaticos ſuos, ultra membranarum vires, implebit, earumque fibras nimium diſtrahet, ac diſrumpet in ventrem ruiturus & viſcera. Rurſus, aut ſalſa, aut acida & mordax ſit lympha, idem illa præſtabit, quod peculiare eſt cæteris humoribus, quotieſcumque peſſimis hiſce conditionibus comitantur. Noſtro experimur damno, ulceribus etiam fœtidiſſimis efformandis ſalſas, acidaſque particulas aptas eſſe, poterit igitur non minùs hujuſmodi lympha fibras erodendo diſcindere, & eo feliciùs malam explebit indolem, quò graciliores erunt partes, quas alluit, ſed exiliſsimæ membranæ ſunt, & fibrillæ, quæ lymphaticos ductus conſtituunt, parvo ergo labore a noxio liquido lacerabuntur, nec prohibere poterunt ampliùs, ne in Abdomen, non niſi cum vita diſceſſurus, feratur. Exuberet denique plus, quam par eſt lympha noſtra, cum Vaſa lymphatica vehementem diſtractionem, ob exilitatem, pati non poſsint, excedentem humoris copiam, vel non recipient, vel nimiùm ab ipſo diſtenta frangentur. Exemplo ſit fluvius, qui donec aquarum moderatè dives, humili fertur curſu, antiquos lambit, & non evertit margines, verùm hyemalibus pluviis, nivibuſque ſolutis auctus, & ſuperbus, aut alvei ſui anguſtiis coherceri non ſinit, & magnà ſui parte per campos latè diffunditur, aut aggeribus fractis, ac ripis, agros populatur, & ſylvas, veteris jam curſus pertæſus, & in paludes, lacuſque pleno ſe gurgite exonerans. Non ergo viſcida, non ſalſa, vel acida, non denique nimia ſit in nobis lympha, hæc etenim omnia

peſſimè Corpus afficient, & a laudabili valetudine avulſum Hydropi damnabunt, & morti: Quæ omnia etiam faciliùs contingent, ſi iis pravis lymphæ conditionibus addatur mala partium conſtitutio, laxa, & enervis lymphaticorum ſtructura, naturali minor eorundem capacitas, & quæ aptam non habeat proportionem cum capacitate arteriarum, cum impetu Cordis, & cum mole Corporis cujus ſunt canales. Verùm, licèt lymphaticorum culpà, cùm ſcilicet rareſiunt, vel diſrumpuntur, oriri poſſit, & interdum oriatur Hydrops, non hæc unica tamen ad eundem via eſt, adeout quotieſcumque Hydropicus occurrit, pro certo habere debeamus, vaſa in eodem lymphatica, vel laxioris compaginis facta eſſe, ac propterea lympham ab iiſdem exſudare, vel diſrupta eſſe penitus, & lympham ab iiſdem effluere, nunquam enim hactenus contigit teſtem hujuſmodi diſruptionis autopſiam adhibere poſſe, licèt innumeri paſſim Hydropes cultro anatomico tentati fuerint, eorumque viſcara induſtri, & accuratà indagine examinata, quin potius non a quacumque lymphaticorum diffractione Hydropem produci comperiemus exemplo certo ſatis, & ſatis vulgari: Novimus enim omnes, noſque ſenſus ipſi docuerunt, pulmonum ſubſtantiam innumeris prorſus lymphaticis ſcatere, & hujuſmodi vaſorum ingens Satellitium ab exterioribus eorundem pulmonum partibus verſus ductus thoracicos perreptare; Scimus inſuper a Phthiſi correptis ulcus in pulmonum ſubſtantia infeliciter geri, & eò infeliciùs, quò magis, ac magis

ſerpens in dies fatalis lues magnam pulmonum molem abſumit paulatim, ac diſsipat; Dum verò pulmones lacerantur, nonne & lymphæ ductus ibi hoſpitantes, & per univerſam eorundem pulmonum ſubſtantiam ſparſi lacerentur oportet? Sed ubi intabidorum thorace hydropicus latex? Ubi pectoris Hydrops? Hinc itaque conjicere quiſque poterit, non a quacumque lymphæ ductuum diſruptione Hydropem excitari, fieri enim aliquando poteſt, ut adeo parcus, & miſer ſit lymphæ proventus per lymphatica vaſa fluens, & conſequenter ab aliquo ex ipſis diſrupto erumpens, ut ad molem hydropicam ſubcreſcere nequeat, ſed vel a viſcerum calore attenuetur, & vaporis formam induens, per tranſpirationem, a corpore educatur, vel, ut in Phthiſi laborantibus contingere arbitramur, a lymphaticis ſtillans, cum ſanguine ibi putreſcente putreſcat, & veteres lymphæ conditiones amittens in craſsiorem ſubſtantiam, & purulentam degeneret. Veluti tamen lymphaticis diſruptis, non ſemper conſurgit Hydrops, ita iiſdem aliquando illæſis in hujuſmodi morbum incidimus; Si enim circa viſcus aliquod obſtructiones, tubercula, tumores ſcirrhoſi, & ſimilia excitentur, adeo ut pars ſanguinis aquoſa exſudet a propriis vaſis, en peticula ſtatim, en Hydrops. Hanc verò exſudationem ab impedimẽtis motum ſanguinis, aliqua in parte, inhibentibus produci poſſe, ligaturæ in vivorum Animalium vaſis ſanguiferis adhibitæ ſatis, ſuperque docuerunt; Si enim jugulares venæ filo excipiantur, & ita occludantur, ut ſangui-

guinis reductio prohibeatur, tota capitis regio, ut inter cæteros obſervavit Williſius, (*f*) aquâ implebitur, brevìque intumeſcet, Quod ſi hujuſmodi tubercula, aut Scirrhi juxta eorundem lymphaticorum origines excitentur, adeo ut nimium compreſſæ, & fortaſſe obſtructæ humorem ſuum non excipiant, idem humor diffluet, quà poterit, &, quà dabitur via, effundetur, & ruet; Viſcus autem aliquod obſtructionibus abundans hydropi viam ſternere ſatis patet, ſi idem Hydrops quartanariis aliquando ſuperveniens conſiderari velit, longiùs enim ſi hæreat quartana ita, ut, quod ſæpiſſimè accidit, lienoſi Homines fiant, obſtinataſque in hoc viſcere obſtructiones gerant, tunc Hydrops non rarò ſubſequitur, quod ſuis etiam temporibus, obſervans Hippocrates: *Quibuſdam*, inquit, *ſplenetices*, *progreſſu temporis*, *in Hydropem morbus degenerat:* [*g*] Et hoc quidem haud aliter evenire arbitrandum videtur, quàm quia, liene ex craſsiorum humorum infarctu indureſcente, vaſa ipſa lymphatica, eorumq; fortaſſe origines comprimantur nimiùm, ac propterea humorem ſuum vel recipere nequeant, vel ad certum alveum derivare. Quod ſi ſanguis ipſe diſſolutus ſit nimium, partemque ſui ſubtiliorem, aquam ſcilicet, per minima arteriarum oſcula emittat, vel ſi eadem oſcula laxa ſint nimium, & quod tenue magis, magiſque crudum in ſanguine eſt juxta arteriarum, & vena-

[*f*] *De Medicam. operat. Sect. 2. Cap. 3.*
(*g*) *Lib. de Affect. Cap. 16.*

narum, ut ajunt, intercapedines effluat, en aliæ ad Hydropem viæ. Dolores præterea in Abdomine ab immani, & ſpaſmodica ſpirituum exploſione geniti mirum, quàm facilè Hydropem producere valeant! quod innuens Hippocrates *quibus*, inquit, *tormina adſunt, & circa umbilicum cruciatus, ac lumborum dolor, qui neque medicamento, neque aliter ſolvuntur, in ſiccum Hydropem firmantur.* (*b*) Siccum verò Hydropem nunquam ſine Aſcitis admixtione excitari neminem latet, & conſequenter humoris lymphatici effuſionem a doloribus in infimo ventre graſſantibus effici non rarò poſſe: Cùm etenim affectiones hujuſmodi ſpaſmodicas graviora tormina inducentes, preſſiones viſcerum, fibrarum diſtenſiones, & ſimilia, ob magnam Spirituum exploſionem comitentur, vel ita comprimi lymphæ ductus ipſi poterunt, ut humor per eoſdem fluere libero, naturalique curſu nequeat, vel ita diſtendi aliquando, ut fracti demum ſuam in Abdominis cavitatem lympham effundant. An non & alvi fluxus, ſi immodicus ſit, & diuturnior, adeo Corpus afficit, ipſumque a naturali ſtatu adeo deturbat, ut cacheticum ſæpiſſimè faciat, & in Hydropem denique adducit? Licet enim aliquando, ex Hippocratis teſtimonio, alvi turbationes conferre poſſint, ſi ſcilicet *qualia oportet purgentur*, (*i*) non rarò tamen in noxias, & funeſtas degenerare obſervantur, ſi plus, quam par eſt alvum purgent, & hujuſ-

(*b*) *Lib.* 4. *Aphor.* 11.
(*i*) *Aphor.* 2. *Lib.* 1.

hujuſmodi fluxus magnus nimiùm ſit, nimiùmque obſtinatus, Celſus propterea *uno die*, inquit, *fluere alvum ſæpè pro valetudine eſt, atque etiam pluribus, dum febris abſit, & intra ſeptimum diem id conquieſcat, purgatur enim Corpus, & quod læſurum erat utiliter effunditur, verùm, ſpatium periculoſum eſt, interdum enim tormina, ac febriculas excitat, vireſque conſumit.* [k] Et quidem magna illa virium proſtratio, quæ immodicum alvi fluxum conſequitur, adeo ut æger tanrom vix roboris exerere valeat, quantum ad miſeram, & quaſi exanimem vitam ducendam ſufficiat, nonne oſtendit manifeſtè, maximè depauperatum ſanguinem eſſe, & in ipſo exiguam ſpirituum copiam, vel eoſdem ſpiritus enerves nimium, & nimium languidos hoſpitari? Cum etenim motiones quæcumque a congruo ſpirituum influxu pendeant, ſi eæ debiliores fieri, & langueſcere paulatim conſpiciantur, dicendum erit, vel eundem influxum comminutum eſſe, vel id, quod influitur, minus vividæ conditionis eſſe, & minus activæ: Sanguis autem adeo inops, & in adeo tenui, miſeroque ſtatu conſtitutus ſanguificationis operi abſolvendo ineptus omninò fiet, & in crudam, imperfectamque Chyli ſubſtantiam, ut infra oſtendetur, degenerans cachexiam paulatim inducet, verumque Hydropem excitabit, *Cachexia enim Hydropis initium eſt*, ut teſtatur Aegineta. [l] Hic verò ſeſe ſponte obviam

facit

(k) *Lib. 4. Cap. 19.*
[l] *Lib. 3. Cap. 47.*

facit univerſalior quædam ejuſdem Hydropis cauſa; in qua generaliter ſtatuendâ, & veteres, & recentiores Medici unanimi Sententiâ conſentiunt. Ea eſt ſanguificatio læſa, ſeu prava quædam Sanguinis conditio, per quam Chylus in perfectum Sanguinem abire nequit; Cùm etenim a veteri ſanguine novus ex Chyli materiâ, ope Spirituum, generetur Sanguis, ſi id præſtare quandoque non valeat, univerſus Hæmatoſeoa ordo turbabitur, & per arterias, ac venas cruda, imperfecta, & enervis humorum maſſa decurret, quàm vividus, & ritè elaboratus ſanguis excurret. Ita autem ſi Sanguis ipſe afficiatur, crudis, aquoſiſque humoribus infarctus eos a ſe facilè eliminabit, & a mixtione ſolutos in libertatem aſſeret; unde prava corporum conſtitutio, ac demùm Hydrops exſurget. Verùm de ipſo ſanguificationis opere, & periculis ob eâdem læsâ provenientibus fusiùs in capite ſequenti diſſerendum nobis erit; cùm ſcilicet de Hydrope ab hæmorrhagiâ immodicâ genito loqui continget. Et profectò a qualibet ex recenſitis cauſis Hydropem produci poſſe, & non rarò forſaſſe produci, nemo ſapiens rerum æſtimator ambiget; immo, ſi aliam Hydropis cauſam addere libeat, licèt ea nil tale minitans, aut ſaltem remotior, primo aſpectu, videri poſſit, re attentiùs examinatâ, non inanis omninò videbitur, & contemnenda; Inſenſilis itaque perſpiratio prohibita ea eſt, quam modo in culpam Hydropis vocare juvat, & ab unico hoc fonte morbum hunc derivatum aliquando, vel ſaltem derivabilem affirmare.

D Ut

Ut autem res clarius pateat, exactiſſimam Sanctorii trutinam præ manibus geramus parumper, ut ejus ope, pondus particularum à nobis continuò erumpentium innoteſcat, comperiemus etenim quinque circiter libras, unius diei ſpatio, quicquid tranſpiramus pendere: Et hæc quidem inſenſibilis tranſpiratio neceſſariſſima eſt, ut Animalis vita conſervetur, quemadmodum inter cæteros manifeſtiſſimè demonſtravit clariſſimus Borellius, [m] tali enim pacto, vapores pravi, & inutiles à nobis expelluntur, noxiæque particulæ per poros eliminantur; Si verò halitus iſti vaporoſi à ſanguine ebulliente, & undique fermenteſcente, & in motum acto diſcedentes exhalare nequeant, vel ob reſtrictionem pororum, vel ob quodcumque aliud impedimentum tranſpirationem prohibens, ſuſpicandi ſanè locus erit à vaporibus iiſdem intus condenſatis, & in aquam degenerantibus Hydropem excitari. Plura hoc ſuadent exempla, quorum primum deſumi poteſt ab Alembicis, ut vocant, diſtillatoriis, in ipſis enim, cùm ope ignis eleventur vapores ex floribus, aut aliis humidis Corporibus extracti, concreſcunt paulatim, addenſantur, & in aqueum liquorem reſolvuntur: Idem accidit, cum vapores ſublati in ſublimem aerem in pluviam deinde abeunt, quemadmodum mihi ipſi obſervare olim contigit, cùm lacus quoſdam in Volterrano Solo integram occupantes vallem, & lacus magnos à vicinis Incolis appellatos inſpicerem, [illegible]

(m) *part. 5. de Oeconom. Animal.*

rem, ab aquâ enim in iiſdem immaniter æſtuante, & in perpetuam ebullitionem actâ fumum quendam denſiſſimum ſurſum elevari vidi, eumque in veram aſſiduè pluviam deſcendere, adeo ut ex nunquam intermiſſo aquæ depluentis proventu, rivus in imâ vallis parte conſurgeret ſatis uber, aſpectu tamen horridus, & graviſſimo odore intolerabilis, & fugiendus. Verùm licèt quæcumque ex cauſis hùc uſque enumeratis Hydropem producere ſingillatim valeat, poterunt non minùs aliquando plures ſimul ad noxam morbi hujus productionem concurrere, unde tunc effectus facilior, & periculum majus oriri poterit; Neque ab his tantùm proximioribus cauſis totus Hydropis timor, ſed eundem, licèt fortaſſe remotiorem, excitare poterunt cauſæ quædam difficiles magis, & à quibus minùs timeri communiter ſolet: In harum propterea conſideratione aliquantulum etiam immorabimur, ut pleniorem Hydropis, ejuſque cauſarum cognitionem, quantùm fieri poteſt, attingamus.

Quomodo ab Hæmorrhagia immodica Hydropis periculum induci poſsit.

CAP. V.

INter veteres Philoſophos non defuerunt, referente Ariſtotele, qui ſanguinem animam eſſe affirmarent, adeò penes illos ſacra res erat ſanguis, ut a præclariſſimarum ejuſdem conditionum conſideratione decepti ipſum tanto nomine, ac tam eximia dignitate decorandum cenſuerint; Detur hoc vel miſeræ temporum illorum caligini, vel quorundam Hominum animo nimium liquidi hujus, & ultra moderationis leges amanti: Quantò tamen falſum, ineptumq; videtur hujuſmodi Philoſophantium effatum, tantò conſonum veritati eſt nos uni debere ſanguini, quòd vivamus, & hoc noſtrum ſentire, ac moveri ab ipſo eſſe, provenire ab ipſo, & ab eodem ſervari; Irrorantur enim a ſanguine quæcumque Corporis partes, non tanquam a torrente, qui ſecum obvia quæque rapiat, ſed veluti ab amico flumine, quod limoſis arenis dives iiſdem margines munificè veſtiat, & ripas: Nutrit nempè cruor, dum flu-

fluit, & tot, ac tàm diverſis alendis partibus unus ipſe ſufficiens omnibus aſſimilator, dum omnes reficit; Sic unus etiam fons ille eſt, qui in horti medio proſiliens, læto murmure, variiſque rivulis herbas alluit, attamen, licèt ſolus, univerſam florum familiam irrigans, & fovens, hic in violis palleſcit, ibi albicat in liliis, in roſis alibi ruber, & amaranthis: Verùm ſanguinis latex, licèt ad præſtantiſſimos uſus deſtinatus, niſi aliquando cautè minueretur, degener, & ſui muneris immemor ſanitatem ipſam non tarò oppremeret, quàm ſuſtinere, diùque incolumem ſervare debuiſſet; Hinc criticas moliri hæmorrhagias natura didicit, quæ vel vagæ, ac incertæ ſunt, vel periodicæ, ut fluxus muliebris; atque aliæ in nonnullis vaſorum apertiones, & quę in ipſis febribus criſes ſanguineæ interdum contingunt, a quibus morbos ſæpè judicari, & Hippocrates, & vulgaris experientia teſtantur: Ut plurimùm verò, quemadmodum Villiſius (*n*) aſſerit, circa Hęmorrhagias ſpontaneas, vel criticè inſtitutas delinquitur, aliquandò etenim vaſorum ora ſimel aperta haùd denuò ſtatim connivent, aut occludi poſſunt, unde contentus ſanguis intemperantiùs erumpere, & copioſiùs effluere cogitur: Si ita ſi res habeat, hujuſmodi hæmorrhagia jam non ampliùs critica, & laudabilis appellabitur, ſed ſymptomatica, & noxia ſanitatem ſemper, ac ſæpè vitam evertens; Fieri enim aliquàndo poterit, ut immatior ſanguinis effluxus nun-

[*n*] *De Remed. Sang. Riſſen. Sect. 3. Cap. 2.*

nunquam penitùs ceſſet, donec in ultimum exitium vitam ipſam adduxerit, immò ſi quandoque cruentum gurgitem cohibere liceat, non ſemper de inſperata valetudine diù lætabitur æger, magnam etenim hæmorrhagiam non rarò excipit Hydrops, & poſt immodicè amiſſum ſanguinem, immodicæ colliguntur aquæ. Et hoc quidem evenire teſtantur Medici omnes mille paſſim in locis, & præſertim Galenus, *cum ſupra modum*, inquit, *aut ex utero muliebri, aut e venis, quæ hæmorrhoides appellantur, aut ex ulcere fluxerit ſanguis, tunc nonnulli aqua inter cutem corripiuntur.* [o] Verùm ſi noſmetipſos conſulamus, quid ægris noſtris, poſt largam ſanguinis effuſionem acciderit memoria repetentes, ad ipſum fortaſſe expertos eſſe recordabimur, de quo, ſuis etiam temporibus, veteres Medici querebantur. Et quidem quem non movemus lapidem, quoties hæmorrhagia immodica occurrit, quid intentatum relinquimus, ut cohibeatur quod fluit, ut reparetur quod fluxit? In promptu nobis ſunt alchalica mille, revulſiones innumeræ, & adſtringentia, totamque hiſce præſtantiſſimis auxiliis periclitantem ſanitatis cauſam commendamus. Omni interea ſtudio, omnique curà ægrum enutrimus, ſtatis reficimus intervallis, & ſalubri, parco tamen ſemper ciborum apparatu, virium jam jam labantium ruinam fulcire nitimur, ne cum ægroti vitâ penitùs corruant: ſed rarò nimiùm tot laborum ſegeti matura meſſis reſpon-

(o) *Comment. 2. in Aphor. Hippocr.* . . . . [illegible]

ſpondet; licèt enim, ſcitè diſpoſitis aggeribus, ſanguinis diffluentis torrens aliquandò coherceatur, prohibere vix poterit Medicus, ne extra vaſa feratur lympha, & qui multùm cruoris amiſit naufragam videat in aquis vitam, quàm cum ſanguine lapſuram timuerat. Hinc duplex ab Hæmorrhagia immodica periculum, primùm ſcilicèt a ſanguinis eruptione nunquàm cohercità, ſecundùm ab eàdem prohibità demùm, ac repreſsà, Hydrope tamen hominem damnante portenditur. Quòad primum, exitii, quod irreparabile emanat ab hæmorrhagia nunquàm impedità adeò manifeſtè patet fatalis cauſa, ut ſupervacaneum omninò ſit in eàdem exponenda diutiùs immorari, conſtat etenim ab aſſiduà ſanguinis deperditione paulatim imminui, ac tandem tolli momenta contractionum in villis cordis, ac propterea a motu demùm ceſſare, & a vità deficere. Quod verò ad ſecundum ſpectat, quà nam videlicèt ratione contingat, ut poſt inſignes ſanguinis eruptiones tàm facilè oriatur Hydrops, aliquid hìc nobis occurrit non ità fortaſſe planum, ac pervium, ſed altiori indagine proſequendum, ut faciliùs, & ſecuriùs inveſtigetur, oportet enim ut ab Hydrope noſtro parumper diſcedentes ad abſtruſiora naturæ myſteria breviter ſcrutanda tranſeamus. Præclariſſimum itaque ſanguificationis opus, ſeu ſpectetur in Embryone, antequam ſanguinis veſtigium appareat, ſeu in adultis, poſtquàm ſanguine turgent vaſa, magnum ſemper, ac ſemper mirabile quo ordine, quàve lege contingat ex recentiorum obſervationibus

 adeò

adeò patet; ut jam ſatis ſuperque diſciſſum ſit velum illud, a quo incomparabilia Naturæ arcana, tot ſeculis occultata latuerunt. Primo igitur, ut res in meliorem lucem vocetur, ad examen revocare libeat quid liquori genitali, ſeu colliquamento candido in ovo accidat, dum incubatur, purior etenim colliquamenti pars a mixtione aliarum partium ovum conſtituentium recedens ſe in centro colligere comperietur, ibiq; poſtquam ſedem fixit, varia inde ad circumferentiam, & varia inſuper a circumferentià ad centrum, ubi punctum ſaliens, filamenta diffundere, atq; hæc non niſi rivuli ſunt, & canaliculi, per quos puriſſimus liquor, ſimul cum vitali ſpiritu, medium colliquamenti tenens per univerſam ejuſdem regionem ſpargitur, ac deinde per alia vaſa ad ſuum centrum revertitur: Hi autem ductus in veras paulatim arterias, veraſque venas abeunt, per quas liquor idem vitalis ſuum circulationis motum init, & ab eodem, dum vita ſuperſtes eſt, nunquam deſiſtit. Poſtquam verò humor ille ſuam circumgyrationem inſtituit, ad circumferentiam colliquamenti, ubi videlicet Chorion eſt, aliquid purpurei ſubnaſci aſpicitur, ſucco nimirùm vitali, dum circulari per ipſum colliquamentum motu volvitur, in ejuſdem margine, ſeu peripherià ſanguineum colorem paulatim aſſumente: Chorion itaque, ſeù tenuis illa tunica, totum colliquamentum ambiens prima rubri ſanguinis ſedes eſt, ibique vitalis liquor primum ſanguinis colorem, & formam induit, cum etenim membranula

illa

illa, ratione ſitûs, incubationis calorem priùs ſentiat, exterior enim eſt, & colliquamento ſuperſtrata, rursùsque ad illam faciliùs a centro; & expeditiùs vitales undequaque ferantur influxus, hinc fieri fortaſſe debuit, quemadmodum inter cæteros oculatiſſimus Harvæus, & clariſſimus Charletonius, ſuſpicantur, ut non in ipſo puncto ſaliente, ſive in ipſo Corculo primò ſpectandum ſeſe offerret ſanguis, ſed tantùm in Chorio. Hinc igitur patet ſanguificationis opus non eſſe ipſius Cordis, cùm non niſi poſteriùs ibidem ſanguis appareat, & in ipſo manifeſtus tantùm fiat, poſtquam in colliquamenti margine, purpuraſcentem colorem exhibuit. Non minus etiam ab hiſce obſervationibus evincitur aut Hepar, aut aliud quidquam ex recenſitis a veteribus Medicis hæmatoſeos organum ſufficiens non eſſe, & aptum opificem, ſed præclariſſimam ſanguinis fabricam aliundè petendam eſſe, a liquore ſcilicet illo puriſſimo, vitalique ſpiritu in media colliquamenti parte, utpote digniori ſede primo hoſpitantibus. Quæ omnia, cum manifeſtè pateant, jam non amplius dubitationi locus erit ab eodem ſanguine, etiam cûm adultus per vaſa decurrit, novum ſanguinem e Chylo efformari, & deperditiones, quas continuas patitur, novo ſui ipſius proventu compenſari; Idem enim vitalis ſpiritus, qui primum gignere potuit ſanguinem, dum adhuc ſanguis nuſquam in ovo conſpiciebatur, in eundem ſanguinem deindè tranſiens veteri activitate præditus eandem illi communicabit, quemadmodum vitali ſucco, ſeu puriori colliquamenti par-

ti ſanguificandi facultatem in ovo communicaverat. En igitur quam facilè explorari poſſit cui nam debeatur in adultis Chyli in ſanguinem converſio, cum etenim primum in Embryone a ſpiritu vitali ex candidà, puriorique colliquamenti parte purpureus, verusque ſanguis feliciſſimè efformetur, non diſſimili ratione, per totam Animalis vitam, idem ſe geret ſpiritus albam Chyli ſubſtantiam in rubrum ſanguinem tranſmutando, idem etenim ſpiritus eſt, vel cum in ipſo vitæ exordio puriorem colliquamenti partem inhabitat, vel cùm, in ejuſdem progreſſu, in ſanguine ſedem figit, immò potentior, vegetiorque in dies evadens, quouſque Animal ad ætatis, viriumque ſummam pervenerit, faciliùs opus ſuum exequetur, magiſque ſanguini conficiendo idoneus fiet. Quoniam verò puriſſimus liquor in ovo a ſpiritu vitali continuò agitatus, & in motum actus ſanguinem paulatim efformat, manifeſtum eſt non ſolo ſpiritu, & ſolo ejus influxu opus eſſe ad ſanguificationem abſolvendam, ſed & motu in ipſo liquido, ubi ejuſdem ſpiritus ſedes eſt, Hanc autem neceſſariſſimam conditionem ſanguini non deeſſe, ſatis, ſuperque compertum eſt, ſive de intrinſeco ejuſdem ſanguinis motu, ſive de extrinſeco ratio haberi velit, novimus enim omnes, particulas ſanguinem conſtituentes in continuà agitatione, & commotione eſſe, atque inter ſe ad invicem niti, ad invicem premi; & in aſſiduà contentione, & quaſi tumultu perſiſtere: Conſtat ulteriùs totam ejuſdem ſanguinis maſſam

motu

motu circulari indeſinenter cieri, & a corde ad quaſcumque Corporis partes fluere, ab iis verò ad Cor ipſum reverti, undè duo iſti motus ſanguinem nunquam quieſcere ſinunt, & ſi perpendantur attentiùs, licèt ſpecie, ortuque diverſi ſint, ſeſe invicem adjuvare, & ad unum, eundemque finem conſpirare, comperientur. Quid ergò de ſanguine dicendum, cùm adultus, vivido ſpiritu dives, mobiliſque adeo, & ſeſe undequaque adeo movens per vaſa decurrit, niſi quod dici de eodem debuit, cùm puriorem colliquamenti partem præſeferens, & a vitali ſpiritu intrinſecè agitatus ab ipſius colliquamenti centro ad ejuſdem marginem, & e contrà, alterno, & mirabili motu ferebatur? Tunc autem a liquore illo puriſſimo ſanguificationis opus abſolvi vidimus, idem igitur a noſtro ſanguine, immo etiam feliciùs præſtabitur, quoniam in ipſo uberior ſpirituum copia hoſpitatur, & in majores, validioreſque motiones venire non deſinit. Chylus ergò cùm primo ſanguinem ſubit, non ſtatim perfectus fit ſanguis, ſed ab eodem pervaditur paulatim, diſſolvitur, ſibique tandem aſſimilatur, proprio ſcilicet ſpiritu, motuque adjuvantibus. Atque hinc forcaſſe pronum foret colligere, cur ſanguis duci debuerit in pulmones, antequam per arterias ad partes derivaretur, aer enim, qui in folliculis pulmonaribus continetur, in ipſo reſpirationis motu, cum ſcilicet iiſdem pulmones reſtituuntur, mirum quàm urgeat, & quàm nitatur in canales ſanguiferos ad eorundem folliculorum ſuperficiem excurrentes, unde ex hac preſſione in vaſa, &

conſequenter in contentum ſanguinem Chylo permixtum oritur facilior ejuſdem ſolutio, & in minimas particulas diviſio, ſeu facilior in perfectum ſanguinem tranſmutatio; Conferre pariter ad hujuſmodi diſſolutionem dicuntur ipſæ arteriarum ramificationes, earumque bifurcationes vim quandam in liquidum per eas fluens exercere non diſſimilem cuneorum viribus, ut præteream preſſionem muſculorum, aliaque quam plurima ad minimarum ſanguinis, aut Chyli partium perfectiorem diviſionem facientia. Verùm hæ omnes auxiliatrices ſunt cauſæ, & ad ſanguificationis opus tantummodò concurrentes, verus nimirùm, & unicus Hæmatoſeos fabricator, & ſanguinis pater ſanguis eſt, qui de propriâ conſervatione ſollicitus Chyli ſubſtantiam in ſui ipſius ſubſtantiam tranſmutat, eundemque permeando, & ad ultimam uſque diviſionem dividendo, ſubigit tandem, & ſanguinem facit; Attamen velut in ovo quantitas puriſſimi liquoris ſeſe, ſpiritus vitalis ope, moventis excellit mirum in modum primum illum ſanguinem, qui ad colliquamenti circumſerentiam aſpicitur, cùm ex Harvæi teſtimonio (p) exiliſſima tantùm linea ſit, quæ primo purpuraſcit, ita in adultis neceſſe eſt, ut veteris ſanguinis quantitas novi ſanguinis efformandi quantitatem maximo ſuperet exceſſu, alioquin Chyli ſubſtantia non modo in ſanguinis ſubſtantiam nunquam faceſſeret, ſed veteri ipſi ſanguini quod crudum, imperfectumque in ſe

con-

[p] *De Gener. Anim. Exerc.* 17.

continet Chylus communicaret potiùs, & univerſus interim Hæmatoſeos ordo, & ſucceſſiva ſanguinis regeneratio corrueret. Quicquid ergo hanc tollet proportionem, de quà loquimur, & quæ neceſſario inter Chylum, & ſanguinem intercedere debet, non ſolùm perfectam Chyli ſanguificationem impediet, ſed ulteriùs imperfecta Chyli ſubſtantia ſanguinem ipſum inficiet; Et hoc quidem ab Hæmorrhagiis immodicis præſtari facilè poſſe manifeſtum eſt; quotieſcumque ita ab iiſdem depauperatur, & imminuitur ſanguinis latex, ut Chylo in propriam ſubſtantiam tranſmutando jam non amplius aptà quantitatis proportione reſpondeat, ac propterea in crudum quid, effœtum, & ſpiritibus magnà ex parte deſtitutum degeneraret: Sanguis verò tàm pravæ indolis, ac tàm imperfectæ conditionis vel obſtructiones in viſceribus excitabit, undè aquoſioris ejuſdem partis extra vaſa diffuſio, vel laſſus nimiùm, nimiùmque enervis quod diſſolutum magis, magiſque lymphaticum eſt a fibroſarum ejuſdem ſanguinis partium vinculo ſolutum, quà dabitur via, fatali libertate ſinet effluere, ac propterea ex utràque causà Hydrops conſurgere, & in manifeſtiſſimum vitæ diſcrimen adduci Homines poterunt. Patet igitur, ex dictis, cur immodicis Hæmorrhagiis tam ſæpè ſubſequatur Hydrops, cùm etenim ab iiſdem minuatur intemperantiùs ſanguis, ſivè id, a quo Chylus in perfectum ſanguinem commutari deberet, naturalis, & laudabilis ſanguificatio non continget ampliùs, & tota paulatim ſanguinis maſſa vitiabitur, & flacceſcet,

plu-

pluresque interim vias, easque planas nimiùm, nimiùmque faciles Hydropi ſternet. Hoc autem totum a Phænomenis, quæ in hæmorrhagiis curandis obſervantur, manifeſtiſsimè comprobatur; Si enim ſanguinis effluxum ſiſtere quandoque detur, ut ab Hydrope, ad quem poſt cruenta hujusmodi impendia, inclinantur vindicare Homines poſsimus, neceſſariam experimur parciſsimam victùs rationem, adeo ut non niſi a paucis cibi unciis per intervalla, nutriatur æger, pluresque aliquandò menſes tranſigat ſemper famelicus, & ſemper in obſtinata, ſalubrique ciborum penuriâ perſiſtens; Et quidem hoc unum eſt, quod tunc a manifeſto Hydropis periculo Homines aliquando liberat, noſque a morbi hujus ſuſpicione, poſt crebras, aut immodicas Hæmorrhagias, curatos pleroſque novimus per hanc ſolam in cibo eis miniſtrando quaſi crudelem methodum, & rigidam parſimoniam. tali etenim pacto ſanguis ab hæmorrhagia reſiduus non ſuperatur, & quaſi obruitur a magno Chyli proventu, unde in crudam, hebetem, laſſamque ſubſtantiam degeneret, ſed Chylum ipſum utpotè pauciſſimum commodè ſubigit, & in verum, perfectumque ſanguinem convertit. Utinam ergo ea ſemper per arterias vividi, & perfecti ſanguinis quantitas fluat, ut vividus, & perfectus inde progigni ſanguis, ac noſtræ diù vitæ conſulere valeat, quicquid etenim veteris cruoris nimiùm abſumet laudabilem ſanguificationem impediet, ac totam paulatim ſanguinis maſſam ita afficiet, ut Hydrops inde timeri non immeritò poſſit. Hactenus de hæmorrhagià

in-

involuntariâ, quæ ſcilicèt ſpontè contingit, & ſummodica ſit, periculis Homines onerat, jam proximè incumbit ad voluntariam ſanguinis effuſionem, ſive ab arte quæſitam tranſire; Hæc autem Phlebotomia eſt præclariſſimum illud præſidium, magno Medicorum conſenſu, & magno Hominum bono iuſtitutum, cujus ope, mirum, quot deleti ſiut morbi, quot morti erepti, ſuæque redditi ſanitati ægrotantes. Præſtantiſſimum hoc remedium in promptu fuit Veteribus penè omnibus, ut eorum monumenta teſtantur, & ut à Galeno ipſo in libro, quem peculiariter de Phlebotomia conſcripſit, ſatis, ſuperq. oſtenſum fuit; Hæc eadem medendi ratio jam uſque à primis ducta ſeculis ad noſtra deſcendit tempora, in quibus pari excipitur cum laude, paremque fructum, ſi celebretur, promittit; Verùm quemadmodum aliquandò hæmorrhagiæ, quas natura ipſa promovit, ſi immodicè durent, Symptomaticæ, & pravæ fiunt, ita etiam ſanguinis emiſſiones, quæ ab arte præſcribuntur, ſi intemperantiores ſit, in noxias, & funeſtas quandoque degenerant, quocumque enim modo minuatur ſanguinis latex, ſi ad eam diminutionem pervenerit, per quam ſanguificationi ineptum fit, eadem hydropis ſuſpicio vigebit, & idem periculum; Et profectò hoc ſemper in mente geraut oportet Medici, quotieſcumque venæ ſectionem præſcribunt, ne immodicum ſanguinem educentes de immodicè collectis aquis in culpam vocentur, non etenim ſemper frequens adeò, & adeo abundans ſanguinis miſſio convenit, ut turpe videri debeat mori, niſi priùs

mor-

morti ipſi magno cruoris pondere litatum ſit. Utinam tamen artis noſtræ res, vel a primis ejus exordiis, eàdem perſpicacitate, & prudentià tractatæ fuiſſent, quà nunc a doctiſſimis viris, & peritiſſimis tractantur, verùm uti Cæſares paucos multa viderunt ſæcula, paucoſque Alexandros, ita etiam magna quidem, & fulgidiſſima Medicinæ lumina, ſed rara nimiùm priſca vidit ætas; noſtriſque duntaxat temporibus, ac præcipuè Urbi noſtræ gratulari jure poſſumus, quod hìc, ſingulari Medicinæ glorià tam multos invenire liceat, quibus ſapientum, ac prudentiſſimorum Virorum nomen meritò debeatur: Iis itaque eà, quà decet exiſtimatione proſequutis, & ſermone ad illos converſo, qui ex iſtorum cenſu non ſunt, primò ipſos monitos velim, me nunquàm a miſſione ſanguinis abhorruiſſe, candemque me nunquàm, ut arbitror, improbaturum, mihi etiam laudibus ipſam excipere placuit; ipſam, quando res exigit, ægris præſcribere, & ipſius ope morbos fortiter aggredi, & debellare feliciter. Quod nunquam in animum inducere potui illud eſt, quod audent plerique, in cujuſcumque ſcilicèt ſanguinem ſævire, ſit æger ille, ſit ſanus, ſit gracilis, ſit robuſtus, æſtuet adoleſcens, vel ſenex algeat. His mente excidiſſe arbitror quæ phlebotomiam celebraturis documenta reliquerit Galenus, licèt ipſe adeò venæ ſectionis amans fuerit, ut damnatum Eraſiſtratum voluerit, hoc ſolo de nomine, quod de ſanguinis miſſione parum diſſeruerit. *Porrò*, inquit Medicus ille præſtantiſſimus, *ſi ætate nec pue-*

ris

rite ſint, nec ſimili de ſecandâ venâ conſilium inito, prò oculis habens principales hoſce ſcopos, nempè plenitudinis tùm quantitatem, tùm qualitatem, & virium robur, atque infirmitatem: Deinde naturalem totius Corporis habitum, tempuſque, & regionem, vitamque anteactam, tùm an cibi, potûsque copia, & præcipuè aſſatim nutrientium quâ ſic affectus ſit, ſit uſus; Ad hæc conſuetudinem, & res præter conſuetudinem actas, quoſque motus exercuerit, quas excretiones habuerit, aut præter ſolitum compeſcuerit; Ad omnia autem hæc, num gracilior, aut craſſior evaſerit. (q) Huc uſque Vir peritiſsimus. Undè igitur tàm impatiens cogitandi animus, cùm Galenus ipſe tot cogitandi ſuppeditet argumenta? Si hæc omnia, quæ ſuperiùs recenſuimus ea, quà par eſt, curà, ſtudioque perpenderentur, meliùs fortaſſe conſuleretur ægris, ſuoque ſanguine exhauſta Corpora inciperent diſplicere; Attamen invaluit adeò, tantumque roboris adepta eſt cruenta hæc medendi ratio, ut jam cætera penè omnia Medicinæ præſidia negligant Medicorum pleriq; unà, ſed non unicà ſanguinis miſsione contenti. Majoris ergò pretii apud nos ipſos ſit ſanguis, nec in eodem adeò largè mittendo, niſi æqua urgeat neceſsitas, tàm crudeli libertate abutamur. Capiti per unicam diem, & non graviter dolenti liceat, ſi Medicum adeat, incidendæ venæ ſententiam effugere; Infans non ſatis adhùc doctus lac è mammis ſugendo eligere, Senex decrepitam agens vitam, debilis, effœtus, & langui-

(q) *De Cur. Rat. per Sang. Miſſ. Cap. 6.*

dos, quicumque levi de cauſà, ad pœnam ſanguinis non damnentur, alter, cùm vix vivere cœperit; alter, cùm jam cœperit mori. Verùm quo me non juſtus rapuit dolor? Tunc rationi conſentaneum queri foret, cùm haberem unde de Medicis quereretur. Ars noſtra, ſed ea ineſt doctiſſimis Viris, & periſſimis ſolida virtus, & ſapiens, ut ab iis non niſi cauto, prudentique conſilio ſanguinis miſſio præſcribi poſſit. Ab iis exactè perpenduntur omnia, ætates, vires, temperamenta, & morbi, temporum conſtitutiones, & Corporum, neque præclariſſimo Artis auxilio intemperanter, ut noverunt unquam, aut unquam diſcent. Hunc fortaſſe de ſe timorem aliqui facient, qui nil Philoſophi, ac Medici, ultra propriam jactitatam habentes, & ultrà nomen, denſiſque undique inſcitiæ tenebris involuti, nullà aut ægritudinis ratione habitâ, aut ægrotantis, ſanguinis miſſionem utcumque celebrant, & multis utcumque vicibus repetunt. Hos igitur unicè hùc uſque ſermo noſter admonuit, ut ſanguinis amantiores eidem tandem aliquandò parcant, ne manifeſtum Hydropis periculum ſubeant homines; ſi eorum ſanguinis latex quà-cumque de cauſà immodicè minuatur.

Quo-

Quomodo a largis Potationibus non levis Hydropis ſuſpicio oriri poſsit.

CAP. VI.

HAc lege vivimus omnes, ut a continuâ partium deperditione diſsipemur ſemper, & deſtruamur, vireſque proindè noſtræ corruant ſtatim, & vita deficiat, niſi nutritionis ope quicquid neceſſariò amiſimus providè reſtauretur, ab operibus enim, in quibus obeundis tantùm natura impendit, corpora ad extremum exitium citò perducerentur, niſi ad, quod aſsiduè perit aſsiduè reficeretur, & maximam ſpirituum jacturam nova eorundem reproductiò compenſaret. Oportuit propterea Chylum in ventriculo elaborari, per vias peculiares in ſanguinem ire, ac demùm ejuſdem operâ ſanguis & ipſe fieri, unde per univerſum Corporis ambitum latè diffuſus omnes irroraret partes, omnibuſq; congrui alimenti vectigal afferens vitam regeret, ſanitatemque ſervaret. Quoniam verò Chylus ipſe, a quo

tantum ſperare licet, non ſponte in ventriculo naſcitur, ſed hujuſmodi vitalis laticis, niſi illùc aliundè derivetur, ſunt ſthomachi tunicæ omninò infœcundæ, neceſſe fuit, ut eidem Chylo producendo materia ſufficiens accederet, cibus videlicèt, qui primùm in ore ruditer comminutus, ac per œſophagum in ſthomacum ductus, acidi fermenti ab ejus glandulis continuò ſtillantis auxilio, in Chylum paulatim faceſſeret; Atque hinc oritur neceſſarius cibi uſus, cùm ab ipſo, poſt varias fermentationes, varioſque gyros, conſurgat tandem ſanguis ipſe maximus ille Corporum ſervator, vitæque cuſtos. Verùm quid ſanguinis à ſolo cibo, ſi craſſus ſemper, compactuſque in ventriculi membranas deſcenderet, hauriret natura, niſi quædam eidem cibo fluiditas adderetur, unde cibaria ſolida ingeſta dilui, effluere, & macerari poſſent? Hinc itaque emanat magna potûs neceſſitas, qui videlicèt arido permixtus cibo ipſius macerationem adjuvet, unde ejuſdem fermentatio, & in minimas quaſcumque partes diſſolutio facilior. Non unicè tamen chylificationi promovendæ inſervit potus, ſed rurſus Chylum ipſum mobiliorem facit, & fluxiliorem, ut per anguſtias vaſorum, quibus excipitur, excurrere faciliùs valeat; quod præſtare non poſſet, ſi humido hoc vehiculo deſtitueretur, teſtis etenim Borellius eſt [r] arenæ acervum aridum inſinuari, fluereque non poſſe per canales anguſtos, niſi a copioſà aquà admixtà lubricam

(r) *De Oeconom. Anim. par. 5.*

eam conſiſtentiam acquirat; Ipſæ inſuper ventriculi tunicæ, ut ad motus, & expreſſiones efficiendas aptæ ſint, madeſiant oportet, & a noxiâ ariditate per potum vindicentur, ut prætereamus ipſis excrementitiis fecibus hinc lubricitatem etiam addi, ut extrà Corpus, per inteſtina, faciliùs eliminentur. Famis propterea ſtimulo ſitis ſenſationem natura copulavit, ut ad eam ſedandam, totque ſimul nos bonis cumulandos, quâdam quaſi violentiâ impelleremur: immò, ut major bibendi nos amor teneret, ipſam ſitis extinctionem mirâ jucunditate condivit, adeo ut potus idem, dum ſenſum dolorificum a ſiti productum aufert, & deſtruit, ſuaviſſimâ inſuper guſtum delectatione mulceat, & recreet. Hinc factum fortaſſe, arbitror, ut tam magna potûs beneficia examinantes nonnulli, majori ipſum, quàm par eſt, veneratione proſequi, & intemperantiùs amare didicerint, licèt, ſi materiam perpensâ, non à quocumque potûs genere, neque a quacumque ejuſdem copiâ fructus adeò felix portendatur, ſed tantùm a potu indolis, & conditionis innoxiæ, & cujus uſus moderationis leges, & temperantiæ fines nunquam excedat: Aqua ſcilicet ipſa, ut in præſenti de hac unicè loquamur, ea enim nil ſimpliciùs arbitratur, & nil ſecuriùs, ſi ipſâ immodicè utamur, ſalubris eſſe ceſſabit, & bona corporibus a potu promiſſa in damna non rarò, & funeſtiſſima extra degenerabunt; *Labor enim*, inquit Hippocrates [*f*] *cibus*, *potus*, *ſomnus*, *Venus omnia*

(*f*) *De Morb. vulg. lib. 6. ſect. 6.*

nia mediocria. Non concoquit Animal, aſſerit Galenus, (*t*) *propter cibi, ac potiones immodicam copiam*, & Avicenna (*u*) integrum libri caput *de nocumento potûs plurimæ aquæ* a ſe inſcriptum legendum exhibet. Oportet igitur, ut clariſſimorum Virorum præcepta libenti, gratoque animo excipiamus, inſignes vel aquarum potatores admonentes, ne iis nimium indulgeant, & in potu ipſo, quem inſanè depereunt ſanitatis naufragium faciant, & vitæ. Ipſe quidem, ex quo tot gliſcentes Hydropes, totque funeſtiſſimo hoc morbo elatos vidi, largiores potationes timere cepi, mecum ipſe ſæpè cogitans, num fieri poſſet, ut a nimia in bibendo intemperantiâ aliqua hydropi producendo opera tribueretur, & profectò ſi quæ immodicas potationes conſequuntur attentiùs perpendantur, magnus aderit dubitandi locus Homines iiſdem indulgentes faciliùs aqueo morbo obnoxios fieri. Primò enim ſtatuamus oportet obſoleviſſe jam, & ab omnibus rejectam eſſe eorum Sententiam, qui potum a ventriculo per ſomniatam quandam ſemitam, breviſſimo curſu, ducebant ad renes, cum interim luce ipsâ clariùs pateat, unicam ad eoſdem renes viam eſſe, vaſa ſcilicet ſanguifera, ſive arterias, ac proindè liquida, quæ bibendo hauriuntur, antequam per urinam a Corpore educantur, tranſire, non minùs, quàm Chylus reficiendo ſanguini deſtinatus in vaſa lactea, in thoracicum, in ſubclavias,

in

[*t*] *De Sympt. Cauſ. lib. 3. Cap. 1.*
(*u*) *Tract. 5. Cap. 5.*

in ſanguinem, atque in hac vulgatiſſima opinione, & veritati maximè congrua nequeunt non eſſe Medici penè omnes, cùm penè omnes aquis largiſſimè exhibitis, febres obruant. Si enim illos quis interroget, cur febricitantes tot potationibus impleant, urget febris, reſpondebunt, ignis ſcilicèt, aut, ſi quid igne igneum magis eſt, ardet in ſanguine, veluti igitur, multis aquis, magna etiam extinguuntur incendia, ita magnæ pariter febres pleno aquarum gurgite extingui poterunt: Iis ergo animus eſt, tot aquarum auxilio, ſanguinem ab ardore, quo æſtuat, vindicare; quod nunquam præſtare ſe poſſe ſperarent, niſi conſtanter crederent in ſanguinem abire, quod bibitur, & cum ipſo per venas fluere, & per arterias. Rurſus memoriâ repetendum quid ſuperiori capite oſtenſum fuerit, a veteri ſcilicèt ſanguine novum ſanguinē efformari; atq; hinc propterea oritur, quod ſi Chylus a ſanguine ſubigi nequeat, fruſtra ſanguificatio expectetur, immò ſanguis ipſe, licèt, ante hujuſmodi Chyli adventum, optimis polleret qualitatibus, pravis conditionibus inficietur, noxiaq; illa ejuſdem Chyli natura communicabitur. Quid igitur aliud vaticinari ſibi poterunt potatores noſtri, quàm proprii ſanguinis damna, propriæque ſanitatis perniciem, eo majorem, & proximiùs imminentem, quò intemperantiùs potaverint? Cùm etenim ſpiritus in veteri ſanguine hoſpitantes determinatæ activitatis ſint, & virtutis, ſi ad novum gignendum ſanguinem non ſufficiant, quod ex admixtione veteris ſanguinis cum novo Chylo reſultabit, ſanguis quidem erit

ſed

ſed imperfectus, & Chyli prædominantis naturam induens. Hinc ſi craſsæ conditionis, ac viſcidæ ſit ipſe Chylus, craſſior pariter, viſcidiorque conſurget ſanguis, ſi verò tenue, diſſolutumque ſit quod in eundem tranſit, tenuis non minùs fiet ipſe ſanguis, & diſſolutus; Quid verò potationibus ipſis, ac præſertim aqueis, aut aqueam naturam redolentibus tenuius, & diſſolutius excogitari poteſt? Ab iis igitur mirùm in modum diſſolvetur ſanguis, & quò intemperantiores erunt, eò majorem in eodem diſſolutionem excitabunt, adeoùt iis affectionibus, quorum a ſanguine nimiùm diſſoluto origo eſt, potatores inſignes obnoxii fiant. Hydropem autem a ſanguine hujus conditionis non rarò produci quis eſt, qui non noverit, præſertim, ſi potationes, quibus plerique indulgent, immodicæ verè ſint, & ſanguinem immodicè dilutum, enervent, crudumque faciant. Et profectò quid aliud tam amplus, turgiduſque torrens, qui liber magnà ex parte, & effrænis per vaſa corporis fertur, portendere nobis poterit, quàm diſruptiones riparum, a quibus coerceri debuerat, præcipuè ſi debiles aliquæ ex ipſis ſint, & parùm magnis undarum inſultibus reſiſtentes? Vaſa itaque lymphatica, utpotè exiliſſima, & tenuiſſimis membranulis, fibrilliſque conſtantia, quomodò aliquandò non diſfringentur, ſi a majori, quàm par eſt, liquidi copià ſæpiùs impleantur? Nimiùm tamen, & ultrà moderationis leges territi ab hujus periculi conſideratione videntur fuiſſe non vetuſtorum tantùm, ſed & quaſi noſtrorum temporum Medici. Nondùm

enim

enim decrepitam agunt vitam hominum plerique, & ſe, non quidem de tantà in bibendo intemperantià, ſed de paucis aquæ guttis avidè hauſtis increparos aliquandò fuiſſe, etiam cum febrili æſtuarent igne, recordantur. Jacebant in lecto Miſeri maximà febre jactati, ſummà etiam æſtate, aridis faucibus, aſperàque linguà, crebrum anhelitum ducentes, & fervidum; Ingenti ardebant interea ſiti, & expreſſis undique ab intùs latente flamma ſudoribus, ardor creſcebat, & ſiccitas, ſuſpiria iterabantur, & jactationes. Qualia tunc infelicium vota, quales preces, ut paucos aquæ hauſtus à Medico exorarent, donum penes illos tanti ponderis, ut mori ſe poſſe dicerent, tam duram ferre ſitim non poſſe! Actum tamen de illis dicebatur ſi biberent, atque eorum etiam oculis aqua ſubducebatur, ne privationis pœnam vetiti liquoris aſpectus augeret, & ſatis tanto ardori Medicis videbatur conſultum eſſe, ſi frigida ſummis tantùm labris madefactis, miſerorum ſitim fallerent potiùs, quàm ſolarentur. Ego autem nequeo ſine horrore de infeliciſſimà tunc temporis febricitantium conditione recordari, cum ſolo tunc nomine diſcrepaſſe videantur Ægypti, Lybiæque deſerta, & ægrotantium cubilia, in his enim non minùs in obſtinatà aquarum penurià, & intolerabili æſtu, cum ſiccitate luctandum erat, & cum ardore. Attamen crudeles adeò Medicorum animos tunc fuiſſe exiſtimandum non eſt, ut febricitantium reſtiterint precibus, quaſi ægrorum oblectarentur luctu, eorumque gauderent in pœnis, ſed rigidæ hujus interdictionis in

 cul-

culpam potiùs, ut arbitror, vocanda eſt magna alia quæ in Medicorum mentibus ſedens ratio, quæ non ſineret, ut largiùs potarentur aquæ, licèt intenſior ſæviret febris, & auxilium quæreretur a lymphis, licèt undique graſſaretur ignis: Noſtris verò temporibus inveniunt largiſſimæ potationes, præſertim in febribus, tot aſſeclas, quot Medicos, tot laudatores, quot ægros, nil enim iiſdem familiarius eſt in arte noſtrà, & nil utiliùs creditur, aut ſecuriùs, Valida nempè conſuetudinis vis ſecum rapuit Medicos omnes, omnes jam detinet, jam omnibus imperat, neque ex tot millibus unum invenire jam licet, cui inſanabilis non videatur febris, niſi pleno aquarum gurgite obruatur febricitas; Ipſe tamen non ità facilè in animum inducere poſſum ab uno, eodemque pota largè exhibito ſana lædi corpora, & ægra reſtaurari. Nonne, cum febris urget, univerſus Naturæ ordo turbatur, & quaſi corruit? Separationes, fermenta, vires nonne magnà ex parte tunc temporis prohibentur, vitiantur, deficiunt? Quomodò ergo tam pleno aquarum gurgite febricitantes obruere poſſe ſine noxa confidimus, cùm indè tantùm detrimenti ab Hominibus vegetà; & inculpabili ſanitate præditis hauriatur, aliud roboris, virtutiſq; momentum in ægro ſanguine invenire putantes, quod in ſano ſanguine deſperaremus? Verùm ità exigit, inquient, ignea febrium conditio, tunc enim mirùm quàm accenſus ſit ſanguis, quàm æſtuet, quas ſecum undique ferat flammas, flammaſque ſpiret! Meum autem hic non eſt de vaſtiſſimà, & nondum fortaſſe,

certà

certà ſatis febrium doctrinà diſſerere, tantùm etenim nec vires poſſunt meæ, nec audet ingenium: An calor ille, de quo febricitantes queruntur, ſit febris cauſa, ſit ejuſdem effectus, ſit febris ipſa, jam curare nobis non libet, & fatemur ingenuè quod negare ſtultitiam ſaperet, nullam ſcilicèt ſine calore febrem eſſe, ſed comitem habere ſemper præternaturalem ſanguinis ebullitionem, & noxiam efferveſcentiam; Atque hinc oritur, ut opinor, bibendi, hoc eſt calorem illum, quo fervet ſanguis, temperandi neceſſitas. Exhibeantur propterea largæ febricitantibus potationes, ita enim exigit ignea Febrium natura, quidam tamen in iiſdem ſervandus mihi videretur modus, ne nimiùm præceps flammas ipſas extinguendi cupiditas, eò Medicorum mentes adducat, quò, re maturiùs perpensà, nunquam declinare potuiſſent. Inſtituendam igitur in bibendo quandam quaſi methodum arbitrarer, quæ ægrum ſublevaret ſemper, nunquam everteret, & cavendum, ne irriguus fons ille ſit, qui in ejus fauces pleno gurgite derivatur, ſed, quibuſdam aliquandò intervallis, a fluendo ceſſet penitùs, & areſcat. Verùm quò noſter ſtultè progreditur ſermo? Is ne ego ſum, qui febribus medendi præcepta aliis tradere audeam rudis in arte noſtrà, & præter nudum Medici nomen, nil aliud habens, de quo meritò gloriari queam? Meum ſit potiùs a ſapientiſſimis Viris, & imitatione digniſſimis febrium curationem ediſcere, eorum monitis regi, & iiſdem itineribus ire, quibus ipſi ad ſummam Medicinæ gloriam pervenère; Veluti tamen,

men, vel unicum aquæ hauſtum, in febribus, improbantium partibus ſtare pudet, eorumque inſanabilem hydrophobiam laudibus excipere, ita nunquam tantùm ergà immodicas potationes amorem amare diſcam, atque hoc fortaſſe eveniſſe arbitror, quòd veterum Medicorum Monumenta perluſtrando, nonnulla mihi in omnibus animadvertere licuit, quæ grandes has potationes, non modò non laudare, ſed & improbare videntur: Hippocrates enim, *frigidæ aquæ*; ait, *copioſior uſus convulſiones, diſtenſiones, & rigores febriles affert*. [x] Et quidem explicitè ſatis loquitur Vir Singularis, quicquid de iis ipſis Hippocratis verbis ſentiant, ſibique fingant pro genio aquoſiores interpretes.[y] Galenus etiam mirum quot conſideranda velit, antequam ad frigidæ uſum deſcendat, *Si enim*, ut inquit ille, *vires cunctæ valentes ſunt, & febris ardentiſſima, & concoctionis notæ planè evidentes frigidam Homini dare audacter debebis*, & mille inſuper hac ſuper re, cautè procedendi vias, mille paſſim in locis, oſtendit, undè ſatis conſtat, eum non adeò hujuſmodi potationum amatorem fuiſſe, ut poſſit earundem ſtrenuiſſimus defenſor, & acerrimus propugnator tàm ſubitò nuncupari, terruit enim fortaſſe Virum, aliàs impavidum, quod ipſe ſe vidiſſe aſſerit, febre ſcilicèt ardenti laborantem; (z) *cum morbus invaleſceret*, ut ejus verbis utar, [illegible] *& fri-*

[x] *De Liquidorum uſu.*
(y) *Method. Med. lib.* 11.
[z] *De Sympt. cauſ. lib.* 1.

& frigidam imprudenter biberet miſerè periiſſe, aquâ nunquam quod moreretur expletum. An non & Arabum Medicorum Princeps Avicenna [a] multùm bibere malum appellavit? Ut prætéream Hydropis [b] periculum, quod imminens vaticinatur, ſi fortè phlebotomiam præceſſerit aquæ plurimæ potus. Quòd ſi in hujuſmodi potationibus moderatiores eſſe renuerent Medici, ne inexplebile bibendi ſolatium ægris ſubducerent, Tullium ipſum audirent, *Valetudo voluptati anteponatur*, clamantem. (c) Et ſanè nonne pietas foret crudelitate omni crudelior delectationi Hominum inſervire, ut indè in maximum vitæ diſcrimen adducerentur? Quid juvat ſuavi undique liquore poculum illinire, ut fruimentis intùs venenum decepta hauriant labra, & ipſa fiet vita aliquanto dulcior ſapor? Tunc, ut arbitror, frequentes, grandeſque potationes poſcentibus liceret annuere, cùm immodica bibendi voluptas nil periculi, & nil detrimenti portenderet, verùm cùm æqua vigeat ſuſpicio tantâ in bibendo intemperantiâ tantam Hydropum copiam fortaſſe derivari, ſatiùs profectò erit noſtrorum majorum ſegetem ſatis, ſuperque fœcundam tot imbribus deſtitutam relinquere, ne ab iiſdem nimiùm irrigata, feracior aliquandò luxuriet, & creſcat uberior. Verùm noſter huc uſque ſermo ex unicâ fluxit hypotheſi; in ſanguinem ſcilicet tranſire quòd bibitur

[a] *Lib. 1. Fen. 2. Doctr. 1. Cap* 8.
[b] *De Remov. Noc. San. Tract. 7. Cap.* 2.
[c] *De Offic. lib.* 2.

bitur, & cum ipſo per arterias decurrere. Quid, ſi ità ſe res non haberet, & felicioribus aliquandò oculis invenire daretur quod, nec vetuſta, nec noſtra viderunt tempora, ductus nempè peculiares, & proprios ad potum a ventriculo ad renes, brevi, facilique ſemitâ, deportandum? Noſtra ne tunc argumenta collaberentur penitùs, & res veritati adeò conſona in turpe degeneraret mendacium? Non ita profectò. Quin potiùs mirum, quantò faciliùs Hydrops contingeret, ſi quicquid, bibendo, in ventriculum derivamus, toto ſuo pondere, totoque ſuæ fluiditatis momento, in exiliſſimos, & tenuiſsimos canaliculos, adeo ut obtutum, ſi adſint, huc uſque fugerint, deberet irruere. Nonne facilior tunc vaſorum diſruptio? Nonne Corporibus Hydrops proximior? Nonne a largis, & immodicis potationibus periculum majus? Sed de hoc ſatis; De Rebus fortaſſe non exiſtentibus, vel ſaltem nondum compertis qui primus invenerit, & conſpicuas fecerit, glorioſiùs loquatur. Haſtenus tot Hydropum, noſtris huſce temporibus gliſcentium copiam, vel a ſangnine nimiùm a vaſis ſuis effluente, vel a potùs immodicè adhibiti intemperantià oriri poſſe oſtenſum fuit, & ab utràque causà ſingillatim conſiderata pernicioſiſſimum hunc effectum hucuſque deduximus. Quid, ſi modò, quæ diviſa tàm amplum ſuſpicioni locum fecere, colligantur in unum, & idem aliquandò Corpus, ut in febribus fortaſſe contingere poteſt, immodico ſpolietur ſanguine, & immodicà ſaturetur aquà? Arbori, ob nutrientis humoris penuriam languidæ

jam

jam, ac penè areſcenti quid, ſi addatur torrentis furor agros latè vaſtantis, ac ſylvas, & cum ipſà toto aquarum impetu decertantis? Nil igitur mirum, ſi, tot hoſtibus in unum, & jam debile Corpus conſpirantibus, cedere infelix, & in extremum ruere exitium crudeliter cogitur. Reſipiſcant itaque hi parum prudentes Thaletis Aſſeclæ, & minori aquam ipſam, ſi immodica ſit, veneratione proſequentes, ſomniatum illud rerum omnium principium Corporum aliquandò deſtructioni eſſe ſapientiùs credant.

De Hydropis periculo a Vino, & Spiritu Vini largiùs epoto; & obiter de immodico Chocolatæ uſu.

CAP. VII.

VIxerunt plerique adeò feliciter, ut nunquam, aut ab immodicis potationibus, aut a nimià ſanguinis effuſione tentati fuerint, attamen Hydropes aliquando fiunt, & poſt lætiſſimum vitæ curſum funeſtiſſimam non rarò ſubeunt mortem ab eodem oppreſſi morbo, ad quem tàm multos vel propria, vel aliorum incuria perduxit: Aliæ itaque, præter jam recenſitas, Aſcitis cauſæ a nobis inveſtigandæ, quibus ipſius debeatur origo, vel a quibus, ſi non gigni, promoveri ſaltem poſſit fatalis hæc Corporum lues. Neque hìc differere juvat de Hydropis cauſis, ut ita loquamur, intrinſecis, quæ ſcilicèt, a ſe ſolis, ejuſdem productioni ſufficiunt, quæ profectò multæ ſunt, & variæ, ut pravus Corporis habitus, mala vaſorum conſtitutio, & ſimilia, Ea enim, quæ nobis nocent, ſed abſque nobis, ſive abſque

 eo

eo quod ad ea, vel noſtra, vel alterius opera concurrat, qua arte, quòve conſilio evitari poterunt? Noſtrorum nempe malorum radix, ſi cum nobis naſcatur, inextirpabilis, ut plurimum, creſcit, non niſi damna germinans, & non niſi ærumnarum fœcunda. Quoniam verò per omnes Hominum conditiones, temperamenta, ætates aliquandò vagatur Hydrops, nullique, aut anni, aut Corporum conſtitutioni quandoque parcit, videndum modò, an effectus adeò univerſalis univerſalior non minùs cauſa, quàm quæ ſuperiùs enumeratæ fuerunt, excogitari poſſit, eique major tot Hydropum culpa non immeritò adſcribi. Cùm autem univerſaliſſimus, noſtris præſertim Regionibus, potus ſit vinum, illud ſcilicèt, quod ad ſanitatem plerique, quidam ad inſaniam, ferè omnes ad delicias bibunt, hoc ipſum potionis genus ad examen revocare libet, & inſpicere diligentiùs, fieri enim poterit, ut quædam nobis in lucem vocare detur, digna fortaſſè, quæ ſibi noſtrum vindicent animum, ſi eà, quà par eſt, æſtimatione excipiantur. Et quidem utinam minùs pleroſq; rapuiſſet experta in guſtando vino ſuavitas, nec nimiùm ab ipſa ineſcati Homines, nimiùmq; detenti, illud adeò deperditè amare didiciſſent! Quantò meliùs etiam nunc rebus conſulerent ſuis, vinoque parciùs indulgentes, illud quantò innoxius, immò quantò ſuis commodiùs Corporibus experirentur! A vino etenim, ſi ipſo moderatè fruamur, teſtes ſunt veteres, recentioreſque Medici penè omnes, noſtram fulciri ſanitatem, & vitam, vireſque, ſi collapſæ fuerint, refici, & ſi vigeant, ſervari; Hinc præclarus invaluit uſus

aquà vinum diluere, quod omnium primus præſtaſſe, dicitur Straphylus Sileni filius [d] ad ſuberbi liquoris vires, & effrænem indolem compeſcendam, vinum etenim ipſum, ſi ei ſufficiens aquę quantitas miſceatur, mirum, quàm innocens fiat, quàm tutum poculum, & quàm ſalubre! Verùm laudabilis hæc bibendi ratio, licèt optimè de omnibus mereatur, non grata tamen omnibus accidit, & jucunda, ſed cæco aquam habentes odio nonnulli, illamque vini non minus, quàm Corporum corruptricem ſtultè appellantes, merum unicè in delicijs habent, ipſumque intemperanter ingurgitant. Jam verò inſignes hi potatores, & ad inſaniam uſque vino indulgentes graves, ſpumantesque cyathos ponant parumper, & quæ ſimul cum dilecto liquore pericula, bibant ſapientiùs intelligentes minùs illi tribuere, propriæq; aliquandò vitæ meliùs conſulere diſcant. Primò itaq; animadvertere oportet, quas Vinum in ſe ipſo mutationes patiatur, ſeu quid vino ipſi aliquando accidat; Deindè, quid poſt immodicè aſſumptum vinum ſentiant alij, ſeu quos intemperantiùs hauſtum effectus quandoq; producat. Id verò, quod Vino peculiariter contingit, ſi vel tepido loco, vel Soli diutiùs expoſitum detineatur, nonne aciditas eſt, adeò ut tota amabilis liquoris ſuavitas in ſaporem guſtui moleſtiſſimum, & palati papillas mirabiliter lædentem paulatim degeneret? Quod autem vinum immoderatè hauſtum conſequitur nonne ebrietas eſt? Ut de hac ſola, utpote magis familiari, ma-

[d] *Plin. lib. 7. Cap. 56.*

magiſque ad rem noſtram facientè loquamur; Jam ergo exordiamur a primo, & demonſtrationes, quas conſtruere eſt animus, ut effectus ſuperiùs recenſiti a ſuis cauſis deriventur, tanquàm lemmata habeantur iis, quę in poſterum oſtenſuri ſumus, fortaſse, non inutiliter præmittenda. Quoniam itaque vinum calido loco detentum ſupponitur, id vino eidem continget, quod cęteris contingit liquidis, ſi incaleſcant, fermentabitur videlicèt, parteſque ipſum conſtituentes tumultum quendam, agitationemque concipient, ſeu tota alterabitur mixtio, ſeù minimæ vini particulę ſuas exerent proprietates, ſed actu aceſcit vinum, ergo inter particulas ipſum conſtituentes, quædam etiam aderunt, quæ aciditatis ſenſum inducere valeant, ſed hujuſmodi ſenſationem excitant particulæ determinatà quàdam figurà præditæ, ergo in vino aderant hujus generis particulæ, quæ tamen, antequam fermenteſceret vinum, non percipiebantur, quia a particulis reliquis mixtū conſtituentibus obtundebantur, & ipſæ fortaſſe quendam inter ſe ordinem, habitudinem, ſitumque ſervabant, per quem ad pungendum, vellicandumque ineptæ fierent; Patet igitur ex hac vini aciditate, poſtquam incaluit, in ipſo eſſe quidem acidum, ſed impotens ad vim ſuam exercendam, per calorem verò diſſolvi, & a vinculis, quibus tenebatur, liberari. Et hoc quidem vino peculiariter contingere, ſi ad intenſiorem caloris gradum detineatur, innotuit cuique, & cuique experiri fas eſt; Quòd verò nunquam in ſe ipſis Homines vellem experiri illud eſt, quod a vino largiùs epoto, plerumq; gignitur, ebrietas ſcilicèt, turpis illa Corporum peſtis, &

voluntaria animorum inſania. Quid enim vinolento Homine excogitari infeliciùs, aut fingi poteſt? Viribus aliquandò eſt ita præſtantibus, ut fortis ab Ariſtotele appelletur, [c] aliquandò ita languidis, ut ruinoſum Corporis pondus vix regat, lubricus eſt inceſſus, nutantes paſſus, Caput vertiginoſum; Obtunditur ingenii acies, animique conſilium obtenebratur, & ratio ipſa, præſtantiſſimum illud, divinumq lumen, de quo unicè humana conditio jure ſuperbit, in fumoſis vini vaporibus obruitur, ac ſepelitur. Et quis unquam in animum induxiſſet, niſi hoc vera nimiùm ſuaderet experientia, a tàm ſuavi liquore, ſi intemperantiùs ingurgitetur, tàm funeſtam malorum ſegetem non rarò produci? Attamen ſi rem attentiùs ſcrutari libeat, hoc ipſum, quod incredibile quid videtur, & quod auditum ſolùm mentem movet, eamque è ſtatu ſuo quaſi deturbat, inſignibus potatoribus neceſſariò evenire facilè comperiemus. Quoniam etenim vinum calidiſſimæ naturæ eſt, & ad quancumque ebullitionem concipiendam aptiſſimæ, ſi per arterias cerebro ſuperimpoſitas feratur fermenteſcens, & propterea vaſa, in quibus continetur, amplians, ac diſtendens, Cerebrum ipſum comprimet, & liquidum nervorum ad partes violentiùs trudet, ſed ab aucto ſucci nervei influxu augetur etiam fibrarum muſculos conſtituentium inflatio, ergo in validiores contractiones venient, ergò partes validiùs movebuntur, ergò validiùs exerent robur. Rurſus ſi vaſa ſanguifera nimiùm turgentia ductus ipſos nerveos aliquandò [illegible] ita

(c) *Probl. Sect.* 27.

ita premant, ut contento ſucco aditus omnino liber non pateat, quod maximè contingeret, ſi ea præſertim præ matris portio comprimeretur, quæ intextus ſtruem omnium nervorum ad foramen magnum occipitis, ſuccus idem nervorum parciùs in muſculos influet, ſeu ſanguidiores motiones excitabuntur, ſeu minuetur, & quaſi concidet partium vigor. En igitur primo loco, quomodo a vino liberaliùs hauſto robur ebrius modò augeatur, modò nutantem Corporum molem ſuſtinere vix valeant. Paret inſuper ex Bellinoi, arterias nimio vino infarctas maximè extendi ab impetu, quem exercet extrorſum fervidus, æſtuanſque humor, qui per ipſas fluit, ac proindè partes ad contactum arteriarum poſitas, dummodò cedentes ſint, loco dimoveri poſſe, ac deberes. Sed arteriolæ ad uveæ circumferentiam poſitæ extenduntur non minùs, & intumeſcunt, ergo uvea ipſa, per quam feruntur, movebitur qua poterit, retina, autem cedens molliſque eſt, & interior oculus compreſſus, igitur introrſum, ſive in retinam agetur uvea, igitur partes retinæ ſitam mutabunt, igitur ſpecies ipſæ ab objectis venientes tunc reſpectu retinæ ſitum etiam mutabunt, ergo objecta moveri videbuntur, ergo vertigo excitabitur. Ultimo loco, manifeſtum eſt, a ſanguine, ob vini efferveſcentis admixtionem, magnam pariter concipi efferveſcentiam, & cùm ejuſdem ſanguinis portio ad cerebri glandulas feratur, & ex ea producantur ſpiritus, qui in nervos derivantur, ſpiritus etiam maximè mobiles, & maximè effrænes prodeceretur, ac propterea quaquaverſum ſitentes, atque erumpentes, variaſque ſpecies minimè cohærentes, incerto tempore, &

-nal ſolo

ſolo caſu excitantes delirium inducent; Quod quidem delirium tamdiù perſiſtet, quamdiù durabit incertus, vagusque ſpecierum motus, ſeù quamdiù ſanguis nimiùm effervescet, & æſtuabit, ſeù donec ab intolerabili vini conſortio ſanguis ipſe vindicetur. Jam itaq. in effectibus oſtendendis, qui cum ebrietate conjuncti ſunt, & a vino intemperantiùs epoto pendent, mira facilitas ex ſola hypotheſi, vinum calidiſſimæ, ac ferventiſſimæ naturæ eſſe, proveniens, hunc ſolum mihi fructum pariat, poſſe ſcilicèt, abſque falſitatis notà, hunc ipſum calorem in vino ſtatuere, etiam quando mixtum fluit cum ſanguine, ſicuti in eodē mixto pariter cum ſanguine acidas particulas jam ſtatuimus. Verùm longà fatigatum patientià videre jam mihi videor gravi tædio lectorem corripi, eumem licèt, & humaniſſimum, ubi ſumus, aut quò vadimus? exclamantem. Non ebrietatem, ſed Hydropem gerit libellus in fronte, nec tot verborum ambages, & remotiſſimarum rerum inutiles, infulſaſque demonſtrationes aliquid ad rem noſtram unicè facientes adhuc excepit. Fateor profectò ipſe etiam, ea, quæ huc uſque examinare libuit, inanes fortaſſe digreſſiunculas, vanaſque tricas videri meritò potuiſſe, attamen, ne diutiùs noſtro calamo turpis inuratur nota, prodeat jam rerum ſuperiùs præpoſitarum neceſſitas, & ſequens Theorema conſurgat: A vino ſcilicèt intemperantiùs hauſto Hydropem paulatim gigni poſſe. Quoniam etenim vinum abit in ſanguinem, & cum ipſis admiſcetur, qualitates, ſeù proprietates ſuas eidem ſanguini communicabit; ſed vini proprium eſt incaleſcere, ergo & ſanguis calidior fiet, & quò major vini quantitas cum

ſan-

ſanguine fluet, ſeù quò major vini quantitas ingurgitabitur, eò major, & intenſior calor in ſanguine producetur, ſed vinum, ſi ad intenſiorem calorem ſentiendum damnetur, aliquando aceſcet, ergo ſi ita intenſus, vehemensque fiat ſanguinis calor, ut à vino ferri non poſſit, abſque eo quod in fermentationem, per quam acidum fit, veniat, aciditatem concipiet, & ſanguinem ejuſdem participem faciet; Rurſus, cùm in vinoſioribus Hominibus novus ſemper, ac novus meri, ſeu caloris proventus feratur in ſanguinem, ſeu magis ſemper, ac magis incaleſcat ſanguis ipſe, poterit aliquandò ad majoris caloris gradum perduci, quàm qui à vino, abſque eo quod aceſcat, tolerari poſſit; Immodicè igitur potatum vinum acidum tandem fieri poterit, & conſequenter eadem aciditate ſanguinem ipſum inficere. Sciant ergo, primo loco, potatores noſtri, quotieſcumque ſe mero intemperantiùs implent, proprium ſanguinem ita afficere, ut veterem amittat indolem, & acidus revera fiat: Videant jam, ſecundo loco, quid ſibi velit aciditas iſta, ſeù quid periculi, quidve mali portendat. Acidus ſanguis eſt, facta eſt ergo ea ſanguinis reſolutio, per quam particulę tali figurà, & activitate præditæ, ut aciditatem inducant, jam ſui juris factæ ſunt, & a reliquarum particularum ſanguinem conſtituentium vinculis liberæ, in eodem ſanguine agitando, pravam indolem, noxiumque genium exercent. Sed agitari non poteſt ſanguis, quin in eandem agitationem quicquid in ſanguine eſt adducatur, ſive, quin particulæ ipſæ, quæ ſanguinem agitant, & vehementer dimovent, quicquid in ſanguine eſt agitent pariter, & dimoveant, ergo tua

humo-

humores, qui cum ſanguine fluunt, inſinuabuntur particulæ agitationem, & dimotionem in eundem ſanguinem inducentes, ergo cum humoribus ipſis miſcebuntur, ſed particulæ illæ, ex ſuperioribus, ea activitate præditæ ſunt, ut aciditatem inducere valeant, ergo in humores, qui cum ſanguine fluunt, & conſequenter in lympham eandem aciditatem inducent; Acida erit igitur lympha. Hic autem quid eadem, quæ jam in Capite quarto a nobis oſtenſa fuerunt, repetere juvat? Ibi enim ſatis, ſuperque demonſtravimus, a lympha, quotieſcumque ex inſipida in acidam tranſierit, ductuum lymphaticorum diſruptionem, & conſequenter Hydropem poſſe facilius induci. Verùm ſi ab aciditate vini inquient fortaſſe Aliqui, timenda eſt ſanguinis, & lymphæ aciditas, & conſequenter Hydrops, illa ingurgitari, abſque tali periculo vina poterunt, quæ non niſi difficillimè aceſcunt, ſeù quæ non niſi poſt longum temporis intervallum, decantatam contrahunt aciditatem; ſed generoſiora, ac celebrioris nominis vina pravæ huic fermentationi concipiendæ ſunt minùs obnoxia, iis ergo, abſque detrimento, ſivè ſaltèm abſq; Hydropis ſuſpicione, uti etiam intemperantèr poterimus; Nobis itaque gratulemur, quòd a felicioribus Etruriæ collibus integrè ad nos vindemiæ deportentur, vinumque veteribus, aut falernis, aut ſurrentinis fortaſſe non ſecundum noſtras coronet menſas, noſtriſque ſaliat in cyathis: Hilari propterea animo, ſuaviſſimo, veterrimoque liquori indulgentes, eodem madeamus, eodemque ſaturemur pro genio, nihil enim mali portendit vinum ſpirituum adeò dives, & a fervidis nondùm victum

æſta-

æſtatibus noxiæ aciditati, per temporis ſpatium adeò diuturnum reſiſtens. Sileant verò ſtultiſſimi potatores noſtri, ipſiſque de re tanti ponderis attentiùs cogitantibus illuceat aliquandò, inter pocula, veritas. Quoniam etenim,ex dictis, id, a quo vinum in eam fermentationem adducitur, ut acidum fiat,calor eſt, quo-neſcumq; calor iſte augebitur,accelerabitur, & faciliùs continget hujuſmodi aciditas, ſed quò generoſiora vina ſunt,eò ſunt calidiora,atque intenſiorem ſanguini calorem, ſi propinentur,conciliant,poterunt igitur faciliùs, & celeriùs fermenteſcere. Rurſus, quoniam hujuſmodi vina calori reſiſtunt magis, & ab eodem difficiliùs vincuntur, ad hoc,ut aciditatem contrahant,oportebit, ut calor etiam magis, magiſq; augeatur,ſed in ſanguine,ut oſtendimus,a generoſioribus vinis magis,magiſq; augetur calor, ergo etiam ab hujuſmodi vinis, non minùs quàm a ceteris obſcurioris nominis,conditioniſq; ignobilioris,inſuavis aciditas contrahetur,quantò enim creſcit momentum reſiſtentiæ, quod exercetur a vino, ne diſſolvatur, tanto etiam creſcit momentum caloris diſſolventis,qui eſt in ſanguine, ſeu idem vinum intemperantiùs ingurgitatum, dum magnam in ſanguinem caliditatem infert,ſe ipſum ad aceſcendum diſponit,ac proptereà vina quæcumque, ſi immodicè iiſdem impleatur ſanguis,noxiam fermẽtationem concipiant oportet,undè eorundem aciditas,& quę ab ipſà pendent,facilè produci poterunt. Non itaque cujuſcumque vini ignotus omninò nobis ſit uſus,ut Romanis [*f*] olim fœminis fuit,ſed neque inexplebilis adeò ipſius nos amor detineat,

(*f*) *Valer. Max. lib. 2. de Matrim.*

ut nullum, in eodem potando, modum ſervantes vino ſimul immodico ſanguinẽ, & immodica abdomen aquâ ſtultè inficiamus: Vel ſi ea fortaſſe noſtri ſanguinis aliquando conditio ſit, & lymphaticorum conſtitutio, ut ille extraneæ æſtuantis liquidi effervescentiæ, hæc ſuæ lymphæ, licèt undique impetum facienti reſiſtere diù valeant, noſtris tamen viribus parùm, aut nihil fidamus, fieri enim poterit, ut ſanitas ipſa ab eodem hoſte nunquam laſſo, & nunquam pugnæ parcenti victa in exitium paulatim ducatur, veluti ab iteratis ejuſdem ſecuris ictibus reciditur tandem, & corruit annoſa licèt, & fortis Ilex, quæ primos ferri ferientis inſultus, aut ſpreverat, aut non ſenſerat. Deplorabilis profectò res eſt, & lachrymis, quàm admiratione dignior, inſignes hoſce potatores, cum lautè convivantur, intueri. Laſſantur famuli vini pocula, inter epulas, miniſtrantes, vino madent mantilia, vino aer ipſe, locuſque redolent, & in uno ventre plurimarum gentium, & regionum vina conduntur. Nec tantùm ex dapibus commiſcent nonnulli, ſed cibo pleni, jam jamque a menſa diſceſſuri plures aliquando cyathos veterrimo, ſuaviſſimoq; liquore inſtare non dubitant per varia vinorum genera intemperantiam ducentes, non ſitim. Hi tamen (quis crederet?) Homines illi ſunt, qui tantam ſtomachi ſaturitatem jactant, ut ne ab unciâ quidem novi cibi gravitas onerari patiantur, & cùm unciæ unius ponderi ſuſtinendo eorum ventriculus, ut aſſerunt, jam non ſit ſatis, a pluribus vini libris, poſt ipſum prandium, quando ſcilicèt ſe a quocumque cibo, licèt leviſſimo opprimi faterentur, refici ſe dicunt, & ſublevari. Quo autem inſa-

nos

nos potatores noſtros adduxit, vini amor inſanior? Quis illis adeò rationis lumen excæcavit, & meritum abſtulit, ut magnum viri pondus leviſſimo panis fruſtulo levius & credant ipſi, & ab aliis credi velint? Ipſe quidem ſtultorum Hominum ſtultiſſimæ Sententiæ nunquā ſubſcribam, cum ab æqualibus cibi, potuſq; ponderibus æqualiter etiam ventriculi, & canalium, per quos indè fluunt, membranæ urgeantur, premanturque. Quid ergò mirum, ſi vino adeò intemperanter utuntur nonnulli, cùm in eodem vel ipſam gravitatē ſtatuere neſciant, & illud quod tantum pendet, cum ſpumat in poculis omni ponderе carere arbitrentur, cum Stomachi membranas inundat? Quomodo vini proprietates ſenſibus minùs pervias, & pericula ab ipſis provenientia percipere poterunt, aut volent, ſi quod familiare liquidis omnibus eſt, & de quo teſtes ſunt ſenſus ipſi, gravitatem ſcilicèt vino tribuere, aut callidè, aut inſipientèr recuſant? Rem tamen, quocumque libuerit modo, ſibi fingat vinoſior populus, proprias, peregrinaſq; vindemias abſumat, & mero tàm immodicè impleri, non exitiale quid, funeſtumque vocet, ſed innocens palati oblectamentum, & firmiſſimum ſanitatis præſidium, fieri enim fortaſſe poterit, ut a propriis eruditus damnis incredulitatem aliquandò, & inſaniam lugeat ſuam, poſt tam uberem vini proventum, tantam aquæ colluviem in abdomine colligi potuiſſe ferò nimis, & inutilitèr obſtupeſcens. Verùm quid ultrà intemperantes inter, ebrioſque Homines immoramur? tempus jam, ut ad ſanitatis amantiores viros, eamq; ettentiùs cuſtodiri nitentes mens noſtra convertatur, & ſermo. Hi ſunt qui ſpiritum vini frequenter

 po-

potant, ad ſtomacum, ut ajunt, corroborandum, ejuſdem acido addentes vires, & concoctionis opus faciliùs, & perfectiùs abſolvendum. Poteſt ne ſuavior, & felicior comparari fructus; aut finis excogitari laudabilior, quàm Chyli fabricam, a qua neceſſaria ſanguinis reproductio pendet, promovere, & vitam ipſam in præcelleriſſimo concoctionis opere principaliter ſitam, illæſam, ſoſpitemque ſervare? Attamen hæc ipſa, in re tanti ponderis tutè aſſequenda, facilitas non inanem in me formidinem excitat, aliquid periculi in tantâ ſecuritate occultari, & herbas inter, floreſq; ver promittentes amœniſſimum, funeſtum latere anguem veneníto morſu timendum, & mortem ſibilo minitantem. Inquiunt itaq; ſapientes hi ſanitatis, concoctioniſq; propugnatores, hanc a frequenti ſpiritus vini uſu adjuvari mirum in modum, illamque conſequenter ab eodem potu ſæpiùs aſſumpto incolumem ſiſtere, & a cujuſcumque exitii periculo vindicari. Mihi tamen diceret velim, quid ſpiritus iſte ſit, cui tantum ſe fidunt plerique, & quod, velut aliquid a Cœlo proveniens, commendare paſſim, ſibique ipſis exhibere non deſinunt? Nonne vini pars eſt magis activa, volatilis magis, ac magis ignea? Nonne quod igneum magis in vino eſt, ſanguinem, ut ſuperiùs demonſtravimus, inficit, & Hydropis paulatim periculo Homines damnat? Quid igitur de noſtro ſpiritu dicendum, ſi a vino ſejunctus in ſanguinem abeat, cum iſtum de eodem ſanguine tam malè mereri oſtenſum ſit, ſi vino permixtus arterias ſubeat, & venas? Cùm vinum tranſit in ſanguinem, ſuus etiam in eundem tranſit ſpiritus, ſed a fibroſioribus, craſſioribuſq; vini particulis ita retuſus, ut noxius

 tunc

tunc ſolùm fieri incipiat, fermentationemque in arteriis periculo plenā excitare, cum ab iiſdem craſſioribus partibus diſſolutus, & liber jam nihil habet, quod activitatē ſuam obtundat, igneaſq; prorſus vires compeſcat; Quid ergo præſtabit idem ſpiritus, cùm à quocumque vinculo ſolutus ſanguini admiſcetur, totoque ſuæ virtutis momento, in eundē impetum facit? Celeriùs profectò, cum ſolus abit in ſanguinem, effectus illos producet, quos nō niſi tardiùs, cum vino permixtus in eundem ferebatur, gignere poterat, ac propterea ad ſpiritum vini confugere, ut ventriculum fulciat, ſanitatemq; tueatur, perindè eſt, ac ſi medio mari deprehenſi, & longà tempeſtate jactati auxilium a ventis ſimul decertantibus ſperaremus, ſalutem noſtram, & vitam ipſis procellarum Authoribus ſtultiſſimè commendantes. Pereat ergo ab Hominū memorià, qui pulcherrimam hanc ſanitatis diutiùs ſervandæ methodum primus edocuit, noſq; ſalubrioribus conſiliis ſapientiùs innixi inanem valetudinis ſpem tanti emere renuamus, ſed veluti ab immodico vini potu tam magnam Hydropis ſuſpicionem oriri poſſe didicimus, ita a frequenti ſpiritus vini uſu idem faciliùs ejuſdem morbi periculum, ut ſuperiùs oſtenſum fuit, juſtiſſimè timeamus; Et profectò ſi omnis a nobis non exularet formido, nobiſq; timere magis aliquandò diſceremus, longiùs fortaſſe abeſſet Hydrops, & cautè viventes fatale hoc vitæ periculum rideremus. Verùm nimiùm viribus noſtris tribuimus, & noſtræ conditionis obliti, immenſumq; prorſus robur in debili Corporum compage ſomniantes illam continuò crebris, gravibuſque ictibus laceſſire non dubitamus. Quid ergo mirum, ſi dum adeò

incau-

incautè propriâ abutimur ſanitate, eam deindè amiſſam inutilibus ſępè lachrymis proſequi infeliciter cogimur? Laudabilem victus rationem, & quæ ſapientem Hominẽ deceat inſtituere ſtultitiam apud nos redolet, quaſi diſpliceat vita moderationis legibus ſerviens, & de propria conſervatione attentius ſollicita. Meum hic non eſt per univerſa rerum genera, a quibus lædimur, & a quibus lædi libentèr patimur, ſermonem ducere, tot enim ſunt, ac tam varia, ut non niſi longiſſimâ enumeratione complecti poſſint, quicquid etenim voluptatem ciet, & guſtum allicit, impatienti expetimus animo, nullâ conditionum, & qualitatum, quę cibum comitantur, potumque, ratione habitâ, & an indè ſanitatis conſervatio, aut exitium oriri poſſit inſpicere diligentiùs indignantes. Exemplo ſit Chocolata, decantatum illud palati faſcinum, ſine quo frigent Amicorum conventus, & quo redolent vel ad voluptatem, vel ad luxum Aulę, theatra, convivia, ipſique Sapientum conſeſſus, ſuavis etenim eſt, & mirâ guſtum delectatione afficit peregrina potio, attamen ſi eâ ultra moderationis leges ſaturemur, mille nosmetipſos periculis, & detrimentis mille damnabimus. Si enim Cacacium Chocolatæ caput, & quaſi baſim perpendamus, craſſæ, pinguis, ac ſummè viſcidæ ſubſtantiæ comperietur, aptæ ſcilicèt ad præternaturalem humoribus viſciditatem conciliandam, obſtructioneſq; in noſtro Corpore efformandas, inter morbos autem, qui obſtructiones hujuſmodi aliquandò conſequuntur, nonnè et Hydropem ſuperiùs meritò numeravimus? En igitur quid tanta in Chocolatæ uſu intemperantia portendere non rarò poſſit ſolâ cacaci ratione habitâ, quid

ſi etiam

ſi etiam Vahinillæ, Cinnamomum, & Saccharum, aromata nimirum, & ſal ad celebris potionis fabricam concurrentia perpendi velint? Nonne ab his ita affici poteſt ſanguis, ut dimotionem magnam, agitationemque, & quendam quaſi tumultum in minimis ſuis componentibus concipiat, adeo ut ab ipſo diſſoluto nimium, & nimium effræni arteriarum oſcula paulatim laxentur, & aquoſiori ejuſdem parti facilior ad diffluendum extra vaſa, tali pacto, ſternatur via? Parciùs ergò deliciis noſtris fruamur, nec mentem adeò voluptas auferat, ut de periculis indè naſcituris, noſtræque imminentibus ſanitati nunquam, quantum rei dignitas poſtulat, cogitemus; teſtis enim Seneca eſt (g) *nullum hoſtem in quenquam adeò contumelioſum eſſe, quàm in quoſdam ſuæ ſunt voluptates*. Intemperantibus linquatur Indis indicæ potionis uſus etiam intemperantior, & a tam diſſitis, olimque barbaris Nationibus peregrinos mores emendicare pudeat, præſertim ſi noſtris concurrant damnis, & oblectare neſciant, niſi lædant. Meliùs igitur noſtris conſulamus rebus, & rerum omnium pretioſiorem valetudinem eſſe aliquando diſcentes, nullum non moveamus lapidem, ut, quantùm humana conditio patitur, incolumis duret, ne ipſa demum amiſsà, exitii noſtri cauſam in noſmetipſos nunquam delicias noſtras ad rectam rationis, vitæque normam dirigentes, refundere inutiliter debeamus.

F I N I S.

(g) *Epiſt.* 39.

INDEX CAPITUM.

Dicendorum Occaſio, & Ordo. CAP. I. Pag. 1.

Veterum Medicorum de Hydrope, ejuſque Cauſis Sententiæ. CAP. II. Pag. 4.

De Ductibus lymphaticis, & lympha. CAP. III. Pag. 9.

Hydropis Syſtema ex Recentiorum inventis. CAP. IV. Pag. 16.

Quomodo ab Hæmorrhagia immodica Hydropis periculum induci poſſit. CAP. V. Pag. 28.

Quomodo a largis potationibus non levis Hydropis ſuſpicio oriri poſſit. CAP. VI. Pag. 43.

De Hydropis periculo a Vino, & Spiritu Vini largiùs epoto, & obiter de immodico Chocolatæ uſu. CAP. VII. Pag. 56.